BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
22. B
13

BREVIARIVM POLITICORVM.

(A)

BREVIARIVM POLITICORVM SECVNDVM RVBRICAS MAZARINICAS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Typis

IOANNIS SELLIBA.

Superiorum permiſſu.

1684.

12 22 B 13

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVem ad me Princeps Italus tractatum hunc Politicum in lucem edendum miſerat, grauiſſimis diſtri-ctus negotiis, typis mandare alteram à nunc ejuſdem Excellentiſſimi Principis juſſu, publicum facio. Materiæ dignitas & Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini nomen, ad cujus vitæ modulum & normam, adornatæ ſunt & compoſitæ quæ hic proponuntur maximæ, ſuperpondium non leve politicis regulis, quæ vulgo proponuntur, additurus eſt; quàm enim grauiſſimis procellis immerſus, & tantùm non ſubmerſus

A 3 *fue-*

fuerit Eminentiſſimus Princeps , neminem fugit , ſed quibus artibus varios illos adverſæ fortunæ æſtus , à quibus obrui debere videbatur , enatando ſuperarit , & ad ſalutis portum fœliciſſimè pervenerit , colligere non ita cuilibet obvium eſt , quas periculoſiſſimis illis & difficillimis temporibus adhibuerit maximas in potentiſſimi Regni variis factionum partibus diſtracti adminiſtratione , atque è plurimis & variis difficultatibus , nactus gloriam , emerſerit , & quod non leve eſt ad illius gloriæ momentum , LVDOVICI XIV. *omnium Galliæ Regum facilè* MAXIMI. *priuſquam ad clavum ſederet , animum illis regnandi præceptis imbuerit , quibus Regni habenas capeſſens , Galliæ limites longè latèque dilatavit , & illam ad ſummum dignitatis & potentiæ culmen evexit , excerpere arduum eſt ; ſed hoc te faſce levabit hic tractatus , & cùm vix exaſceatum & omnibus numeris abſolutum præceptorum Politicorum ex-*

tet

tet ſyſthema , cum particulares circumſtantiæ , quæ regulas generales admodum variant , ſint infinitæ , ideo nulla facilior fœliciorque tradi poteſt ratio , quàm ſi regulas illas generales ad particulares illas circumſtantias , à quibus pendent , aptantes , diſciplinam ſolis præceptis generalibus ſtipatam , ex theoretica practicam ſeu activam reddamus , voti autem illius faciliùs compos evades , (Lector benevole) ſi Illuſtre hoc exemplum , ad cujus velut politicæ coryphæi & anteſignani prototypum , ſe ſe attemperare , & ſuæ prudentiæ regulas accommodare , ſtudent hodierni Politici , oculis tuis obverſari contendas : Ita tamen te geras velim , vt quidem , rationes & normas , quibus viri Politici uti ſolent , perſpectas habeas , non tamen vt decipias , ſed ne decipiaris , vtramque hanc ſummæ prudentiæ normam conjungendo , quas & æquitatis atque iuſtitiæ regula illa generalis , & Evangelicum præceptum præſcri-

bunt : Quod tibi fieri non vis , alteri ne feceris , Eſtote prudentes ſicut ſerpentes , & ſimplices ſicut Columbæ ; *hoc meo labore fruere , & Vale*.

BRE-

BREVIARIVM POLITICORVM SECVNDVM RVBRICAS MAZARINICAS.

FVNDAMENTVM.

DVo olim in ſincera Philoſophia, Duo nunc: *Suſtine & Abſtine*, olim: Nunc: *Simula & Diſſimula*. Siue *Noſce Teipſum*, *Noſce alios*, quæ (niſi fallor) etiam priora ſuſtentant. Hæc ergo primò peragemus; Deinde priora in variis *Actionibus humanis* & cum ea ferè ſine ordine accidant, non ſpectato ordine dabimus.

NOSCE TEIPSVM.

AN ira, metu, temeritate, aut qua Paſſione labores?

Qui defectus in moribus, in menſa, in Templo, in converſando ludendo, & alijs actionibus, maximè ſocialibus, te notent?

Omnia membra corporis examina: an oculus inſolentior, Pes aut caput iuſto inflexiores, Rugæ in fronte, Labiorum extremitates mundæ, tardior aut velocior inceſſus?

Cum quibus agas, an ſint homines laudabiles, Fortunati, Prudentes?

Quo tempore maximè incautus reddaris, an Verbo, aut moribus cadas? an in menſa dum es potus? an in ludo, an in calamitate? vbi iuxta Tacitum *Molles ſunt Mortalium animi.*

Quæ loca adeas, an ſuſpecta, Vilia, Infamia, te non digna?

Actio-

Actionibus tuis cave, ne cautio deſit, ad quod ſervit libelli huius lectio, quo loco, tempore, in qua dignitate, & cum cuius dignitatis perſona agas?

Adnota ſingulos defectus, ut in ijs mens hoc tibi ſtrictius attendat.

Proderit quoties contigerit labi, aliquid durius ſibi injungere.

Si offenderis ad bilis effuſionem, nil dic nec vllo ſigno prode iram, dummodo ſis in talibus circumſtantijs, ubi fuſtra tuum Zelum oſtendere poſſis, nec tibi ſatisfacere, ſed ſimula te minimè læſum, & expecta oportuniorem horam.

Nil oſtende in vultu præter humanitatem, aut etiam affectum. Non facilè ad quamvis lepiditatem ride.

Omnes ſtude tibi habere perſpectos; Tua ſecreta nulli unquam prode: alia expiſcare.

Nil indecori loquere, aut fac coram ullo, etſi naturale, & non malitioſum ſit, quia tales alij deſpiciunt.

Conſtanti inceſſu modeſtiam

ſerua, alioquin acribus oculis obſerva omnia, & prudenti ſupercilio curioſitatem finias. Tales habentur pro prudentibus, aſtutis, & accuratis.

NOSCE ALIOS.

MVltum noſcitur in morbo, ebrietate, poculis, loculis, ubi agitur de lucro, aut damno, in ludo, & itinere, vbi laxatis animi oſtiis, faciliùs è latebris prodeunt feræ. In afflictione, maximè in injurioſa &c. Hæ occaſiones obſervandæ, in his agendum cum illis, quos noſſe velis.

Multùm juvat frequentare eius Amicos, Filios, Pueros, Familiares, Famulos, qui facilè munuſculis corrumpi poſſunt, & multa prodere.

Quod ſuſpicaris alterum cogitare, eius oppoſitum inducas in ſermonem, laudando: ſi is contrarium cogitat, vix erit tam cautus,

tus; vt ſe non prodat, defendendo, aut apponendo aliqua, vt contrarium ſentire oſtendat.

Quibus vitiis quis laboret, hac arte noſces. Induc in ſermonem, quæ vitia maximè occurrunt, & quibus Amicus maximè poſſet laborare, quò laborabit, illud acerrimè oppugnabit, & execrabitur. Sic Concionatores illis ferè laborant vitiis, quæ ardentiſſimè accuſant.

Pete conſilium de re aliqua, poſt aliquot dies age cum eodem, ſi falſa dixit, nunc diverſa dicet, Dei enim Providentia facilè mendaciorum obliviſcimur.

Finge te habere notitiam alicuius rei, & coram eo, quem putas ſcire, refer, ille te corrigendo notitiam ſuam prodet.

Vide cum quibus quis converſetur, nam noſcitur ex ſocio &c.

Lauda aliquem, vel in afflictione ſolare, quia in huiuſmodi caſibus erumpunt obſcuræ, & occultæ cogitationes.

Pellice aliquem, vt vitam ſuam nar-

narret (quod fieri poteſt ſi tuam narres fingendo) quas nequitias alteri intulerit, hinc habebis locum argumentandi de præſentibus; ſed tu cautus eſto, ne tuam prodas.

Scientiam ſic explorabis v. g. Epigramma aliquod da legendum, ſi laudat nimium, & ſit vile, exiguus Poeta eſt; ſi laudat in quantum eſt laudabile, Poeta eſt. Sic de cibis infer ſermonem, noſces guloſum; Idem eſt de aliis vitiis, & virtutibus.

Iuvat proponere, in conſeſſu, vt de re ferat judicium per modum joci quid quiſque valeat, quas virtutes habeat, cui ſit par officio? ſepè enim joci multum dè vero texere.

Poteris etiam aliquando medicum agere, talia cibo immiſcendo, quæ illos exhilarent, & reddant loquaces &c.

Maligni hominis indicium eſt, qui frequenter contradicit, ſæpè ad furta deſcendit talis.

Qui multùm ſe iactant ſua predicantes, non multum timendi ſunt.

Phan-

Phantaſtici ſunt, qui ſunt ſcrupuloſi, triſtes, multæ orationis, vocales, qui vngues habent nimiùm breves, qui faciunt mortificationes externas ſine internis.

Ex mendicitate elevatum agnoſces, ſi de victu, amictu queri incipiat; mendici enim elevati talia præ nobilibus affectant.

Secretum vix tenent Vino, & Veneri dediti, quia hi mancipia ſunt Amaſiæ, illi inconſiderantia linguæ feruntur.

Falſum & iactabundum ſic tenebis: dum itinera, peregrinationes, militiam, geſta enumerat tot, & tot annos in illo loco egiſſe. Tunc ſummam omnium computa, roga deinde alia occaſione, quo anno hæc inceperit, quo deſierit.

Quot annos vitæ habeat. Magna diſconvenientia patebit. Item quot turres illa Vrbs habeat, aut arcem celeberrimam, cuius nomen finge, an nouerit interroga: vel tamquam omnium conſcius, gratulare illi quod periculum hoc, vel illud evaſerit.

Probum Virum, & eius pietatem noſces, ſi in eius vita obſervetur concordia, ſi ambitio, & loci dignioris appetitus deſit; non ſit affectata modeſtia, & in omnibus compoſitio; non effœminatus ſermo, non nimis exterior mortificatio oſtendatur, nimis parum bibendo, edendo &c.

Natura Melancholici ſunt aut Phlegmatici, qui ſe maximè alienos ab ambitione & faſtu iactant, & qui læſi ſtatim amicè agunt.

Aſtuti plerumque ſunt, qui habent affectatam lenitatem, in naſo monticulum, & acres oculos.

Petatur ab aliquo conſilium aliquod, agnoſcetur eius prudentia, dexteritas &c. Vnde etiam fingenda eſt mens anceps, & ambigua.

Qui facilè promittit, parum ei fide, quia mendax, & fallax eſt.

Secreti tenacem iudica qui tibi per nullam amicitiam ſecreta ab alio pandat, ideoque ſubornatalem, qui ei concredat, aut qui à te concredita ab eo petat: ſed faciliùs

ciliùs ſolent aperire fœminis, pueriſque dilectis, & ijs, quos quiſque maiores, & ſuperiores amat: ſi tibi alienum ſecretum prodat, nihil ei committe, quia poteſt habere, quem tantùm diligat ac te.

Literas ſubditorum ſuorum iuvabit interdum intercipere, relegere, & ad eas reſpondere.

Qui nimis multa peculiaria & nitida habent effœminati & ferè parum ſancti ſunt.

Qui nimis arma decora habent, ferè parum milites; nimiùm inſtrumenta artis culta, parùm artifices, niſi excuſet ætas iuvenilis. Item qui ſuæ naturæ nimis indulgent, atque nimiùm formoſi, & amabiles, ſunt parùm docti.

Adulatorem ſic deprehendes, finge te aliquid feciſſe, quod clarè ſit abſurdum, illudque iactabundus refer: ſi laudaverit. Adulator eſt, ſecus ſi ſaltem ſiluerit.

Amicum falſum advertes, Nunciet illi tertius à te inſtructus, te ad extrema eſſe redactum, iura quibus nitebaris falſa eſſe deprehen-

henſa, ſi velut, non curaret, audierit, nunquam erit amicus. Mitte inſuper qui ab eo tuo nomine conſilium petat, & ſimul auxilium; advertes, qualis ſit; ac probata virtute, ſimula tibi omnia falsò nunciata fuiſſe.

Indocti produnt ſe nimio nitore in ſuis rebus, ornatu parietum, cura lecti, aut ſi quid minus latinum proferatur, rident, & oſtendunt ſe advertere.

Parvæ ſtaturæ homines caveas, ſunt enim pertinaces, faſtuoſi &c.

Amicorum concordiam ſic explorabis; aliquem eorum nominatim vitupera coram alio, vel lauda; tunc vel ex ſilentio, vel frigido reſponſo advertes totam rem.

Propone in conceſſu aliquos caſus, quomodo in tali, vel tali caſu procedi poſſit ingenioſè, ex reſponſo cujuſvis ingenium, & aſtutia patebit. Item propone quomodo tales, vel tales decipi poſſint, iniice ſermonem de perſecutionibus, plurima ſe paſſum probabit, qui plurima dicet.

Mendaces plerumque natura ſunt, qui dum rident habent foſſulas in genis.

Qui curant nimis ſuam pellem, ab his parum metue. Ex iuvenibus, & nimis ſenibus plurimum in quovis negotio noſcitur.

Simulator eſt, qui de eadem re, & benè, & malè loquitur, ad quod occaſio ei danda eſt.

Frequenter exigui judicij ſunt, qui multas linguas ſciunt, quia multa memoria iudicio obeſſe, ſolet.

Si quis magnas virtutes ſubitò præ ſe ferat, qui aliàs fuerat vitioſus, ſuſpectum habe.

Quem putas dicta tua prodere, coram illo loquere aliqua ſingularia, & talia, quæ coram nullo alio dixeris, ſi prodatur dictum, habes delatorem.

Si narrent alij ſomnia ſua, ſæpiùs ea narrari, & diverſa roges, & diſcurſu facto multum noſces ſecretum animum. Vt ſi quis ſe tui amantem dicat, expiſcare alio tempore ſomnia, ſi nunquam de te

ſom-

ſomniat, fictus eſt amor.

Alterius erga te animum explora, ſtudia oſtendendo, aut te eius inimicum fingendo.

Nullius vitij praxim oſtende te ſcire, nec narra aliorum vitia cum vituperio, aut zelo nimio, iiſdem laborare iudicaberis.

Si accuſator alium proditurus ad te veniat, ſimula id iam audiiſſe, & plura alia; tunc videbis, quod ſuſpiciones, & particularia addet; quæ non fuiſſet alias dicturus.

Qui cum canibus, pueris iucundis nimis tenerè agunt; molles ſunt;

Qui ficta voce, cum ficta tuſſi, loquuntur, effœminati, proni in Venerem, ſic & qui nimis comptuli, adornati, aliorum oculis placere cupientes, & iunioris aut fœmineæ ætatis nimis obſervantes.

Falſarij ſunt, qui omnia nimis facilè annunciant, nimis probant omnia tua, quia ſimulata eſt hæc amicitia. Qui coram te nimis acriter in alios invehitur, cavendus, quia tibi idem eſt facturus.

Se-

Secreti tenacem ſic cape. Narra ei aliquid ſub ſummo ſecreto, id ipſum & alteri narra cum eadem cautela, ſubmitte tertium fraudis conſcium, qui duos hos convocet, & diſcurſui de concredito quid inſinuet: Sic apparebit eius natura, & quis prius prodet; ſi aduertant ſe omnes tres quid ſimul ſcire, qui ne tunc prodit hunc tuum fac ſecretarium.

Alterius mentem ut agnoſcas, ſuborna alium, cuius amator eſt, & per eum ſecretiſſima reſcies.

ACTIONES HVMANÆ CIVILES.

VIam ingredior nullo ſervato ordine, quia nullum ſequor.

GRA-

GRATIAM SIBI COMPARARE.

INtellige quibus rebus amicus afficiatur, & pro genio munuſcula dona, apta erunt Mathematica, Communicatio ſecretorum Naturæ, quibus plenus eſt *Mizaldus*.

Sæpiùs alloquere, conſulta, & ab eo pete conſilia, atque vtere illis; ſed nunquam te ita aperi, ut ſi fiat inimicus, habeat quo te poſſit tenere. Nihil pete, quod difficulter præſtiturus ſit, qualia ſunt, ubi tangitur *meum*, *&* *tuum*. Feſta ſolemnia, Natalem, ſanitatem &c. gratulare brevibus, ſed cultis orationibus. Rarò virtutes, ſemper vitia ipſius diſſimula, abdita tua ei communica, laudes ab alijs ei dictas refer, & omnia inſuſurra auribus, maximè ea, quæ à ſuperioribus dicta; nunquam autem vituperia, & vitia illius, quomodocumque petierit manifeſta, atque ſi vrgeat, ne videaris diffidere, ſaltem leviſ-

ſima,

ſima, aut quæ ipſe de ſe aliàs etiam dixit, refer. Talia enim acrem ſui memoriam poſt ſe relinquunt, quomodocumque dicantur, maximè ſi nimiùm de vero trahant. Per alios, & in alienis litteris eum crebrò ſaluta, ſæpè ipſi ſcribas, ſententiam ei contrariam nunquam tuearis, aut premas, aut ſi premere auſus es, permitte te ab illo inſtrui, & ab eo dejici, & dejeciſſe diſſimula. In dandis titulis eſto liberalis, & alacer ad obſequia nunquam futura; Per vitia nulli placere ſtude; imo nec per eas ſpecies, quæ cum tuo ſtatu pugnant; Vt ſi ſis Eccleſiaſticus à nimiis jocis, ſcurrilitate, hauſtibus magnis &c. tibi tempera. Hæc enim & ſi amorem in præſens comparent, atamen in contemptum, ludibriumque ducunt, imo acria, etſi non ſtatim, odia conciliant. Ideoque etſi aliquando expedierit eſſe extra virtutes, ſine vitio tamen id fiat.

Si ad aliquem venias, primùm intellige, qui gratia apud loci Do-

minum potiantur, qui factione, dicacitate. Illorum gratiam omnibus modis demerere, quia multis uſibus futuri: Eorum poteris conſilijs in rebus promovendis uti, quia tales dum dant conſilium, partem in ſe curæ aſſumunt. Si de aliquo te vindicare velis, ipſis ſuſpectum fac, & eorum invidiam tuam cauſam feceris.

Nullum ſcelus à Domino admitto, vt tibi perpetrandum imponat; nam licet illi futurus ſis gratus in præſens, deinde tamen ut exprobrator aſpicieris, & cenſeberis in Dominum id poſſe facere, quod facilè eius iuſſu ſuſcepiſti, tamquam venalis fidei, & virtutis homo; aut ſaltem cum facti præmio ſtatim diſcedes.

Literas aliquas ſcribe honorificas de tertio, & permitte amitti, & intercipi, ut ad eum tertium deveniant.

Multi iudicant ea, quæ ſibi grata ſunt, etiam alijs grata eſſe; ideoque ea faciunt; imprudentius explora, quid illi gratum, vel ingra-

tum

tum ſit: Appella fratres, etiam te minores, eoſque honore præveni, dummodo ſint ingenui.

Nulli res gratas ad ſatietatem exhibe, nauſeam accipiet, ſed plura oſtende quàm des, relinque, ut deſideret: Idem ſit in ludo, colloquiis &c.

Nihil mutuò ab amico petas; nam ſi nequit præſtare id, quod oſtendit, te oderit, vel ſi illibenter concedat aut res non integras receperit, ægrè feret.

Nihil ab amico emas, nam ſi carò vendiderit, tu læderis, ſi vili ille.

Minimos illius famulos benè habe, aliàs ſensim amici animum avertent: hoc in conviviis, hoſpitalitate obſerves. Confinge ſecreta, & tanquam ſecreta concrede: etiam ea quæ de officio illius ſunt, oſtende te ſingulari curæ habere: Cum mancipiis ſi familiariter agas, contemnent, ſi ira oderint, ſi dulci gravitate venerabuntur.

Cum ingenuis, benevolentia, amore, comitate agendum eſt, ad

humilia obſequia, extremæ demiſſionis indicia; ut ad oſcula pedum, non admitte. Avaros, quoad genitum mancipijs annumera.

Gratiam *Populi* ſi quæres, promove promiſſis illorum commoda, quæ ſingulorum utilitatem attingunt; his magis, quam honeſta te moventur.

Ad menſam inferiorum inuitatus accede, nil reprehende, civilitate omnes vince, ſalva tamen grauitate, verbis ſaltem liberalis eſto.

Cave, ne quid illis invitis, rerum ſubtrahas, & tibi aggreges.

Compatere, ſolare ſæpius, & per partes beneficia exere.

Nil contemne, ſed potiùs lauda.

Si contradicere opus ſit, non obiice illis imprudentiam, imperitiam, ſed potiùs laudatis illorum rationibus, bona intentione &c. oſtende incommoda inde ſecutura, ſumptus &c.

Oſtende te ſemper propugnatorem Populi immunitatum. Specu-

lare

lare amicum, cuius gratiam vis comparare, an ſcilicet armis, an ſcientiæ, an Clementiæ, an feritati ſit deditus.

Interceſſor eſto rarus, nam quidquid aliis propter te fit, tibi fit; tu autem tibi ſerva Principem integrum.

Nulli ſecretum alterius pandas, illi deinde vilis eris, ſi ſcelus impetrat, moras trahe, & de modo te excuſandi cogita, morbum ſimula, equos ablatos &c.

Famulos eius, cuius amicitiam quæris, habe priùs amicos, auro etiam corrumpe, ſi opus ſit, pertrahent & illi Dominum.

Quomodocumque profeceris in gratia non ſecus illam habe, quàm ſi illam per mille officioſitates adhuc quæreres; acquiſita enim tenerè vult tractari & ne amittatur; imò officijs ali.

NOSCE QVI SIT AMICVS ALICVIVS.

LAuda aliquem, ſi alter tacet, non erit amicus, vel ſi rem aliò divertit, vel languidè, & coactè loquitur, ſi minuit, ſi non conſtare ſibi dicat, aut in aliarum laudum partem derivet; Item ſi ſit conſcius facti laudabilis, te illud referente nihil apponat ad id quod poſſit corripere. Item ſi etiam fortuitum caſum eſſe dicat, aut id eventum nimia Dei Providentia, & extollat alios paria, & majora feciſſe, aut conſilio id factum eſſe alieno. Litteras amici nomine ad eum finge, in quibus petat aliquid ſibi concredi, patebit animus propenſus, vel adverſus. Eum amici nomine ſaluta, vel de eo adverſa audiſſe dic, & quid apponet his videbis.

ÆSTIMATIONEM, ET FAMAM SIBI COMPARARE.

NVnquam eſto certus, quod aliquis ſit ſecretum ſervaturus, ſi coram eo aliquid licentiùs, aut confidentiùs agas, aut dicas; néc de puero, nèc de ſervo id crede; imo ex hoc actu de te formabit judicium, atque talem alijs deſcribet.

Nunquam tibi promittas, quod aliquis tuam actionem dubiam ſit excuſaturus; imò in peſſimam trahet, ideo nil tibi, vel uno ſpectante, indulge. Non referas quomodo alias fueris diffamatus, vel injiria affectus, nam ſic te magis diffamas, & erunt qui approbent. Non valet hic illud Bernardi. *Excuſa intentionem, ſi non potes opus*, ut dicant caſu, aut inconſideratè peccaſſe, vel te tentandi gratia, ad malum ſollicitaſſe.

Aliquandò confidentiùs maxi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mè garrulis, ſecretum confide, ac roga, ne illud aliјs detegant, ſcilicet te plurimum poſſe apud Potentes, habere cum aliis correſpondentias, &c. Deinde vitando aliorum conſpectum ad tales Potentes ſcribæ literas, obſigna, & oſtende, quas deinde combures; reſcriptiones finge, quas tamen incautius cuſtodi. Quod audiunt aliqui confusè, etiam & ipſi confundunt; ideòque, ſi quid tale contigerit, bene legendum.

Depredica te nulli unquam nocuiſſe, ſi pro aliquo, certè pro hoc, coronam à Deo, dic te expectare, & affer exempla in momento ficta.

Quidquid in publicum proditurum eſt (eſtò ſit minimum) perfectiſſimè agas, quia ab uno actu ſæpè depenedet opinio æterna.

Nunquam plures res ſimul agendas ſuſcipe, quia nulla ex eo gloria, quòd multa facias, ſed ſi unum tantùm excolatur; Teſtor experientiã.

Iracundis, Potentibus, Cognatis ſemper credere decet; imò & vtile eſt, ſimula demiſſionem animi, can-

candorem, liberalitatem, hilaritatem; lauda, gratias age, promptum te offer, etiam non meritis.

Initia rerum ſummo conſilio, & labore agenda, & cum omni certitudine ſucceſſus, & qualiter prima, taliter omnia; & fama ſemel parta, errores ipſos in gloriam coaleſcent.

Si quid tibi in officio incumbat faciendum, nullis precibus id ſuſcipe, per quod intentio tua minuatur erga debitum opus, certus etiam eſto reſpectu quod tot, & tanta feceris, tot curis diſtractus fueris, ſi tuo muneri vel minimum defuiſti, imo vel eo ipſo, quod ea ſuſcepiſti.

Si tractaturus es negotia, non admitte ſocium, qui ſit idoneus, & pluſquam te exercitatus in illis. Si aliquem es aditurus, non habe tecum eum, qui ſit acceptior.

Si mutaturus es officium, non ſuccedant notabiliter meliores.

Ea quæ domui tuæ decora ſunt, ſine typis mandari, obtrectati pone in præſens ſpreta, namque quæcunque

veritate, obſequioque ſcripta fuerint, olim veriſimilia legentur; ſermones autem loquentium, aut cum ijs, aut ante eos intereunt.

Scientiæ opinionem ſic tibi facies. Ex ſcientijs hiſtoricis quædumque habere potes in unum libellum refer, & eum quovis menſe per otium relege, ſic omnium rerum ſpecies tibi imprimes, & vbi opus erit, notitiam oſtendes.

Formulas reſpondendi, ſalutandi, loquendi, & quæcunque ſubitò fieri debent, habe plura parata.

Quidam ſe nimis extenuant, ut inde extollantur, vel vt fortuna ferti, non curis, ingenio, non labore videantur; ſe negligere, contemnere incipiunt; vel ſæpè perſuadent, vt habeantur pro inertibus, & imbecillibus, eo fine, vt hoc Religioni addicti faciant.

Nunquam iuxta totam potentiam age, vt credaris nihil amplius poſſe agere.

Quæ per ſervos agere, corrigere, punire potes, per te non agas, majora tu fac.

De

Del incertis non diſputa, niſi ſcias te certò victorem.

Si convivium inſtrues, communica fortunam famulis hoſpitum, garrula plebs eſt hæc, ad infamiam potentior; unde beneficium debet oculos implere ne alia ſpeculentur; ſimiliter liberaliter agas cum Barbitonſore, & Meretrice.

TEMPUS AD NEGOTIA AUGERE.

QUæ ſunt minora per alios expedi. Ordinem tibi exactum præſcribe, quem nullatenus tranſgrediaris, & minimas partes temporis, minimis negotiis tribue, nec in ullo negotio diutiùs, quam ſufficiat, ut honeſtè expediatur, moreris.

Si ſis fatigatus negotio, nil amplius attinge, ſed honeſto luſu cum commotione corporis te excita, & plura, & facilius brevi tempore deinde perages, vel ſaltem tale aſ-

ſume negotium, cui ſinei labore ſufficias.

Quæ negotia per aliquot dies trahi debent, melius in unum ſeparabis, ut expedias. Non admitte ea negotia, quæ parum lucri habent, aut gloriæ & multum laboris.

Negotia inutilia & quæ multum temporis petunt, in gratiam nullius fac.

Cum Artificibus per te ipſum non agas, nec rem Economicam tractes, nec hortos, nec ædificia; hæc enim plena ſunt laborum, & curam ex cura trahunt.

GRAVITATEM ACQVIRERE.

OCcupationes congruas agendo, ut ſi ſis Prælatus, arma non tracta; ſi Nobilis, Chiromanticam artem; ſi Religioſus Medicinam; ſi Sacerdos, ut ſis laniſta, cave.

Non facilè promittas, aut concedas; non facilè rideas, non ſta-

ſtatim aliquid conclude, concluſa non muta. Oculos non defige in alterum, non jacta naſum, non corruga, non eſto tetricus, geſtus raros habe, caput rectum tene, verbis paucis, & ſententioſis utere, habe paſſus non nimis diductos, omnia membra decore compone.

Nulli fateare te aliquid amare, aut odiſſe, aut timere. Vilia negotia non per te, ſed per famulos agas, nec de illis loqueris.

Cum in menſa es, aut lectum intras, aut deſeris, nullus adſit.

Paucis eſto amicus, rarò age cum ipſis, ne contemnaris. Non in quovis loco ſine delectu colloquium inſtrue.

Subitam mutationem in moribus, ne quidem in melius adhibe, item nec in veſtitu, victu, ſplendore &c.

In laudibus, & reprehenſionibus à nimijs exagerationibus abſtinendum, ſed proportionatè ad materiam iudicandum, ne gravis nimia exageratione ſis.

Affectus nimios, ut oblectatio-

nes, admirationes & c. itaquiſſimè fac manifeſtos. Etiam in intima amicitia pietatem præferas, item cum confidentiſſimè agis, de nemine queraris, neminem accuſes.

Res multas non imperes ſimul ſubditis, & quas exiqui nequeant, quia diſcent contemnere juſſa, aut poterunt oſtendere imprudenter imperata.

Leges aut nullas feras, aut pauciſſimas. Non facilè iraſcaris, nam ſi deinde facilè placaberis, levis habeberis. Si quid publicè dicturus es, præmeditatè, & è calmo dic.

LEGERE, SCRIBERE.

SI quid ſcribas in loco, quem multi adeunt, erige cartam ſcriptam, veluti eam deſcriberes, hæc omnibus pateat, & ea quę verè ſcribis jaceant, & ita tegantur, ut ſola linea, quam deſcripſiſti pateat, & à quovis accedente legi poſſit. Quæ verò ſcripſiſti libro, vel charta alia

alia obtege , aut charta erecta propius mota.

Si dum legis aliquis accedat, ſtatim plurima folia tranſpone, ne tua intentio deprehendatur, imo convenit plures libros eſſe ſimul compactos, ut vnus præ altero inſpiciendus obijciatur. Quod ſi literas ſcribas, aut legas librum, aliuſque ſuperveniat, coram quo ſi legas ſuſpectus eris, ſubinde, & veluti ex libro, & literis rem omnino differentem propone; Vt ſi v. g. ſcribas monitorias &c. advenientem hoſpitem interroga quid ad talem caſum cautè, prudenter poſſis reſpondere; aut pete noua, ut literas poſſis implere; idem fac cum pecunias numeras, aut librum legis.

Scribere ſecreta manu tua ne graveris; niſi per zifras ſcribas; idque tales, quæ ab omnibus legi, aut intelligi poſſunt, quales Trithemius in Polygraphia ſua dedit, hæc enim magis celant, ſi aliena manu ſcribantur. Zifræ quæ legi non poſſunt ſuſpicionem excitant,

& interceptionem, niſi aptè ſcribas.

DONARE, MVNERARI.

Liberalis in ijs eſto, quæ vides non præſtiturus, vel quibus nunquam uſuri ſunt ijs, da privilegia.

Nemo Magiſter ſuum diſcipulum ita doceat, vt is non ſperet, ſe poſſe aliquid amplius diſcere. Nec Parens filio ſuo tantum det, ut hic aut nullo favore egere, aut nihil amplius ſperare queat. Idem eſt de Domino reſpectu famuli, vnde ſi dentur prædia, ea ſint, quæ egeant Domini gratia. v. g. lignis, aqua, ſiue mola careant.

Si contractus, aut inſcriptio fiat, clauſula apponatur, ut ad libitum Domini ſint revocabiles.

Si ſit aliquis communi officio dignus; & dum ei confers ſe excuſet, nullo modo admitte, ut non acceptet; niſi de hoc palam omnibus

bus conſiſterit ; alioquin merita eius nota te non compenſaſſe credetur; ut verò ſe excuſare nequeat, tunc committe, quando adminiſtrandum ſtatim erit, & interim abſens eſto, ut ille de litteris quærere cogatur, munus interea ſuum inchoet.

Gratia ità facienda, ut tibi nil decedat, ſed v. g. pœnas condona debitas in præmium, tributa nova, quæ alioquin minus juſtè impoſiturus eſſes exemplo Vicinorum.

Quibus ipſe uteris non ſint nimis ſumptuoſa, ut arma, equus, annulus &c. ut ea velut magnum munus, tuo levi damno donare poſſis.

Modi donandi non ſint vulgares, ſed v. g. ut ſclopetum dones, cura explodi ad metam ſub ejus amiſſioſione, eumque jam jaculanti velut Victori dona, vel de re certè diſpone, vel ludo fave.

Si alicui perſonæ gratum donare velis, non promittas, quia detrectabit, promittere enim eſt petere, ut

ut ſe excuſet, aut ſaltem precibus emat.

Qui ſuas res laudant coram aliis, invitant, ut eas petant audientes.

Ea, quæ prædeceſſores ſtatuerunt, non facilè damna, præviderunt illi, quæ tu non advertis. Item gratias perpetuas non facilè concede, quia oportebit fortaſſe mutari, nec amplius poteris.

Dona ne videaris projicere, neque, ut grata ſint, coneris pretium intendere. Speculare quibus quis neceſſitatibus urgeatur, & quando; & ſi alijs beneſeciſti, hoc aliis non dicas; offendes, & exprobrare videberis: & ſi cogaris dicere, dic debitum fuiſſe, nec pro eo gratibus egere, aut velle acceptare. Si quid tibi donetur (& ſi minimum) cave ne ſis ingratus.

PE-

PETERE.

Vide ne id, quod petis, marſupium affligat, aut multos labores exigat, idque ſatis fuerit amico indicare, ea re te egere: quod ſi ſic non præſtiterit, nec ad preces faciet; ſed gratum pro præſtitis te oſtende, ut advertat eoipſo te petere nova. Si rem gravem petiturus es, de alijs negotijs age, & velut aliud ageres, deſideria explica. Magnates cautè roga, quia putant ſibi imperari, interceſſores adhibe; clariſſimas perſonas, vt Prolem ad Parentem, dummodo eos non adhibeas, qui ipſa re indigent.

Tempus petendi eſt dum aliquis eſt lætus, quod ſit Die feſto, & poſt Prandium, non tamen cum dormitat, nec inter alia negotia, dum illis diſtrahuntur, nec cum ſomno affliguntur, nec multa ſimul petere præſumas.

Cuius cauſam promovendam ſuſcipis, ut ignotum fove, rarus eſto cum eo congreſſus, quo honeſto, ac publici amore potius, quam privati moveri videaris. Rationes accommoda perſonis cum quibus agis, propone avaris lucra, ac damna; ſpiritualibus viris gloriam Dei, juvenibus laudes, & irriſiones à ſocijs.

Privilegia, & ſchedas non petas à Dominis, tardè enim expediuntur talia, ſed ſcripta à te tempore oportuno, ut ſubſcribat ſubtrude. Non petas ab alio cui ille afficitur (maximè ſi ſit tibi inutile) aliqua rara: nam ſi negabit, te læſiſſe putabit, & oderit; humanum enim eſt quem læſiſti odiſſe: ſi conceſſerit, te velut indiſcretum petitorem averſabitur.

Quia turpe eſt repulſam pati, nil pete, niſi de ejus obtentione certus, ideoque non petere, ſed tantùm neceſſitatem explicare juvabit.

Rem, quam amas, nemo advertat te amare, priuſquam ſis in po-

poſſeſſione; ideoque, vel deſperationem oſtende, vel ſparge jam alteri eſſe deſtinatam; gratularique illi.

Si quid tibi negetur, suborna alterum, qui pro ſe petat, à quo tu facilius rem obtinebis.

Si quis honorem, quem tu petis, tibi præripere velit, mittas ad illum aliquem occultè, qui ei titulo amicitiæ diſſuadeat, & difficultates oſtendat.

MONERE.

ALia omnia incipe narrare, tum ea facta, de quibus vis arguere, exagera, reprehende, & circumſtantias alias appone, ne ille advertat ſe tangi, & ſæpè audientem bonæ mentis, ac lætum eſſe iube, ac facetias immiſce, & ſi triſtetur, quære cauſam, & tunc in fine alia omnia appone, de remediis etiam in abſtracto loquere.

Si quis ſciat ſe apud te de aliquo vitio eſſe ſuſpectum, eum præfice rebus arcanis; ſed non cum periculo, ille, ut à te amoliatur ſuſpicionem, toto animo exequetur; ideoque expedit ſe oſtendere interdum ſuſpicari.

Iuvenes qui ſui iuris ſunt, & ad illicita prolabuntur, ſi exprobrando arguas, magis accendes, ideoque potiùs eorum pœnitentia expectanda, vel ſatietas. Si contingat vertere artes, non ex abrupto de duro in lenem deſcende, cum frigidis apertè agendum, timor incutiendus; cum fervidis cautè, & leniter.

NON FALLI.

PRudentibus viris, fides temperata detur, quia quę illorum prærogativas concernunt, nimis extenuant; Et quia alienam famam nimis benè interpretantur; non fatebuntur an quiſpiam coram il-

 lis

lis de te ſiniſtrè locutus ſit, non à quo cavendum ſit, non quibus vitijs laboret. Idem eſt de Sacerdotibus, dum ſuos laudant pœnitentes, quia de his nihil poſſunt, niſi benè loqui, non minus quam Parentes de filijs.

A quo times, ne te abſente, aut querelas contra te, aut turbas, aut quid ſimile moveat; habe illum tecum ſpecie amicitiæ, in recreationibus, venationibus, menſa, colloquio, comilitio, &c. Sic ne vicinæ nationes rebellent, vbi tu implicaris alio bello, conſpicuos eorum cum exigua manu, à qua perfidia timeri non poſſis, tecum in bellum veluti fideliſſimos adduc. Iuvabit vt dum ad menſam ſedes, ſcribis, ante te ſpeculum ſit, vt videas quæ à tergo geruntur.

SAN-

SANITATEM CONSERVARE.

Hic attende ne ſit defectus, aut exceſſus in cibo, quoad quantitatem, & qualitatem, in veſtitu &c. quo ad calorem, & frigus. Anguſtias in ſomno, in labore, in loco, quo ad auram nec nimis altus laudetur, Repletio, & evacuatio morborum fontes, motus, & quies ſint moderatæ, paſſiones animi non effrænes; Non propè paludes, imo, nec flumina habita. Feneſtræ cubiculi Boreæ potius ex Oriente, quàm Auſtro obvertantur. In negotia feria ultra duas horas vix incumbendum; ſed mediet aliquando animi relaxatio; Cibi ſint benè parati, & qui poſſint haberi vbique. Moderatè Veneri utaris in quocunque ſtatu permanes, & id iuxta exigentiam propriæ complexionis.

IN-

INVIDIAM VITARE.

TEſtem non agas, quia alterutram partem impinges. De nullo abjecto, aut vili loquere, aut ſigna da; ſi perſtringis dicto, perge in colloquio, veluti nil eſſet. Præſentibus alijs nullum fac ſingularem favorem, quia alij deſpectos ſe eſſe putantes, odiſſe incipient. Subitum ſplendorem cave, quia oculos perſtringit antequam aſſueſcant eum intueri. Ea quæ grata ſunt in vulgus, ſive ſint vitia, ſiue conſuetudines, accuſare noli. Si habeas Authorem facti alicujus odioſi, recentibus odiis te non offeras; nec ea agas, quibus videaris, aut factum tuum probare, aut gloriari, aut illudere læſis, his enim graviter augeſcit invidia, iuvabit potiùs abeſſe, factum tranſmittere ſilentio.

Nil novi in veſte, apparatu, convivija gere.

Si leges feras, nolito virtuti diffidere, ſed ut omnes vniformiter agant compelle. Rerum rationes, ut omnibus ſatisfiat redde, ſed non niſi poſt factum, ne impediaris.

Habe per modum vniuerſalis principij, ſed valdè iuſtè, de nullo quantum libet, benè, aut malè loquere, bona, aut mala facta referas; fortè erit amicus tertij cui refers, ſic impinges, & aucta in deterius tua dicta, ad eum de quo dicis, aliquando veniunt: ſi laudes fortè minus amicus tertij erit, qui audit, & ſic tibi inimicus efficietur; præſtat tamen multa ſcire, videre, audire, & id expiſcari, ſed circumſpectè; Offenſa enim eſt de ſe ſcire aliquid quæri; vnde ita querendum, ut ne videaris quærere.

Cavendum eſt à nimia quaſi generoſitate, quia contemni aliquis videtur; ut ſi dicas te milites in ſacculo habere, non quærere &c. Meliùs quàm præceſſores, & rigidiùs legibus te proceſſurum jactare

noli,

noli quia amicos alienant; etſi enim hoc jurè facias, ſola tamen quæ grata intelligis, intenta profer.

Nulli famulorum, aut jus ſingulorum in alios committe, aut cum illo ita agas, ut commune agere videaris, maximè ſi ſit exoſus cæteris, nec præmiis ſaltem extollendus, niſi omnibus conſtiterit de ejus virtute, ut ſit incitamentum.

Si aliqua ſeveritas facienda noſtris ſit, ea per alios, & quaſi te non mandante expedienda; ita ut ſi affecti quærantur, de illa minuere poſſis, ipſoſque, qui ea fecerunt, tamquam ſolos ſeveritatis authores incuſes, v. g. Tribunos, quod diſciplina ſit ſoluta; ut advertant correptionem, opus, & aſpera quidem, non tamen modus preſcribatur, ad duriora enim delabentur, qui ſe vendicent, & tibi erga appellantes materiam benevolentiæ faciendæ dabunt.

Quicumque ex duris gloriam meruerit plenam, ei adſcribe in te non derivanda, quia ſic pleno ad te redibit alveo, & ſine inuidia, & hoc

ipſum non feciſſe gloria erit; Eventus tuos bonos , & ſucceſſus ad alium bonum v. g. refer , quaſi eius auxilio , auſpicio , conſilio egeris . In ſucceſſu nil tibi arroges , eadem ſit converſatio , menſa , veſtes , nec niſi certo modo in is fiat mutatio.

Si puniendus ſit aliquis , eò perduc , ut ipſe ſe reum fateatur , vel alteri judicandum committe , qui clam à te rigidam iubeatur ferre ſententiam , quam tamen deinde lenias .

Victis non inſulta , nec tuo Antagoniſtæ ; & ſi eum viceris , nec factis, aut dictis te victorem prædica, contentus vera victoria .

Si cogaris invidioſam ferre ſententiam , ad ambiguum dicendi modum recurre v.g. pro ea tamen quam intendis gravior eſto , pro altera videaris concludere , vel præſcinde à concluſione .

Si roget , ut intercedas , promitte; & ſimul oſtende rem non in tua manu eſſe , & poſſe forſan aliter evenire .

Si vindicta ſumenda per alium ,

vel

vel ignotum fiat, iube læſo veniam concedere lædenti, fugam tamen clam ei permitte, & quamprimùm.

Si Parentes litigant, nulli facilè adhære, ſed negotia conquire, ut illis abſorbearis, ita ab utraque parte habeberis excuſatus, & neutra te ſciverit non eſſe à ſe, licet neutri quid ſpeciali amicitia exhibueris.

Nullarum novarum legum, maximè adverſariarum cenſearis Auctor cum ſuperioribus, & eo qui regit; rarus, eſtò palam, facilè ei levia refer, nec de eius amicitia gloriare.

Si aduertaris apud Magnates omnia poſſe, ſcito quod quidquid ab iis fuerit peccatum, tibi imputabitur, cura ergo, ut Dominus tua conſilia videat, interceſſiones acceptet, in tua tamen abſentia res aliter ordinet. Hoc maximè Confeſſariis Principum tenendum.

Si tuum genus, familiæ maiores laudentur, aliò ſermonem deriva, ut hanc tuam modeſtiam aduertant,

tant, tum laus erit ſecura ſine invidia: ſi placere viſum fuerit, odia naſcentur.

Eorum, quæ ſunt grata, & favorabilia, publicè non ſis laudator. Et ſi officio contingat te dimoveri, palam oſtende tibi gratiam factam tuæ paci conſultum, cauſaſque inquire quibus id demonſtres, ſic nemo inſultabit.

Non quærendum palam, quis hoſtis fuerit, aut eius fautores, nec de eo ſermonem inſtitue, occulta tamen omnia ſcire intererit.

Cum illis, qui ſunt omnibus exoſi, non age palam, nec conſilia ſuggere.

Nunquam ſciaris in conſilio fuiſſe, in quo exoſa etiam adverſus minimos credantur, licet à longinquo poſſis eſſe Auctor.

Nullius facta carpe, reprehende, officia aliorum non inſpice; loca quibus alij præſunt, agros, officinas, ſtabula &c. & quibus poſſint conſpicere ſe obſervari, non adi ſponte.

Ex famulis, pueris, de Domi-

minis valdè cautè inquire.

Vide ne in tuis moribus, geſtibus, ambulatione, converſatione, ludo, loquendi dono, ac Phraſi, cachinnis, fervore, aliquid ſit quod offendere poſſit.

Quomodocumque ſis occupatus, ſi aliquis accedat, ſuaviſſimè reſponde, & oſtende eum gratum tibi hoſpitem, alia etiam occaſione illum aditurum nunc excuſatum habeat. Vt bono pacis tuæ conſulas, multùm de commoditatibus tuis cedendum erit.

Quantumcumque quis falſa incompertaque narrat, audi dum alijs refert, non corrige, nec te meliùs noſcere oſtende, & neminem jocis ludibriiſque veluti contemneres etiam inter iocos, accipe, aut ita ut advertere poſſit eludi vanis. Etiamſi malè ſuccedat aliquibus, non irride, potiùs excuſare, rogare, juvare ſtude.

Non agas ea in non ſubiectos quæ per juriſdictionem agere videaris.

RESCIRE SECRETA.

ETiam viles homines ad colloquium adhibe, illi humanitate victi maximè ſi auro manus inungaris, omnia depromenc (idem per pueros, ſed cum periculo, habetur) Famuli inter ſe etiam committendi, qui ipſorum ſecreta prodeant. Omnibus autem fideliter ſerva fidem, ne confidentiam perdant; & ſcientia non ſtatim examinata vtere.

NOSCERE INTENTIONEM DICTIONIS ALIENÆ.

IN primis rationes illius accipe, & inde, an id probent quod ille dicit ſe agere; an verò illud, quod ſolet, & de quo eſt ſuſpectus. Item ſi ferventiùs agat quàm ſoleat, vel remiſſius, non à ſe agit; vel ſi ſubi-

tò mutat ſententiam, & cum fervore, ſignum erit munerum acceptorum. Si rationibus benè ſolutis non acquieſcat, non illis modis agit. Item ſi argumenta nimis elaborata ſubtilia, quæſita, ac contra naturam, vel futilia, & tamen cauſam feruentem agat. Si diverſis vicibus idem promovendo diuerſas rationes allegat, prioribus neglectis; quia quæ non ex noſtra mente loquimur, eorum obliviſcimur. Immitte aliquem, qui titulo amicitiæ cum eo agat, ac cofidenter de cauſa expoſtulet, tum omnia alia prodet.

OFFENSAM VITARE.

SI alicui difficiliorem in re aliqua præſtanda te exhibuiſti, vel minus liberum, cave, ne intra quantumcunque tempus in ſimili materia, quantumcunque inferiori, aut pari te liberalem exhibeas; quia aut diffidentiam erga te,

& inter illos odium excitabis.

Nunquam rigorem augeas erga eos, quibus præes, niſi ſimul, & favores; quia vel in odium, vel in contéptum abibis. Si autem vtrumque auxeris, amorem miſcebis timori. Si aliquid novi incipias, quod aliorum oculos lædat, aut Principem, ad id duc, ut ſub exemplo ſit culpa, & multitudine invidia miteſcat.

Si credaris eſſe odioſorum conſiliorum Auctor, aliqua bona in vulgus fac palam, ut quibuſdam tributa, pœnas, &c. miteſce, maximè iis, qui accepti Plebi.

Si aliquod inſolens meditaris, priùs cum Theologo &c. clàm conveni, & in tuam partem pertrahe, ut publicè idem tibi ſuadeant, promoveant, imò cogent.

Leges novas impoſiturus, oſtende neceſſitatem, ac cum prudentibus de eo ſtatuendo delibera; aut ſaltem ſit fama te eorum conſilio uſum, & ſic prudentior; tunc rejecto conſilio, alia tuo arbitratu imponas.

Ne-

Nemini uxorem, famulam &c. procura, aut certum vitæ ſtatum ſuade.

Executorem teſtamentarium cave ne agas.

Si ſis in comitatu alicuius, dum ille familiam ſuam ordinat, imperatque, adeſto quidem, ſed non modos ſuggere, aut iuva.

Contingit, vt ſi quis ad locum novum veniat veteres quoad perſonas, & mores liberiùs extollat; tu eſto cautus in communi errore.

Eſtò ſentias contrarium, ſequaris ſententiam laxiorem, ſivè in rebus conſcientiæ, ſivè in alijs; tamen ſtrictiorem prædica.

Coram nemine te oſtende apud ſuperiores quidquam poſſe, aut præſtitum favorem, ſic coram nemine in nulla confidentia tuum ſenſum de altero aperi.

Superiorem delinias ſemper lucro in quocumque officio fueris, potiùs ſis in ſubditos aliquantum aut ſaltem apparenter laxus, quàm ſtrictus.

Si quem putatum amicum de te

ſiniſtrè loquutum audieris, ne exprobra, inimicum efficies, qui hactenus indifferens erat.

Ne velis omnia magnatum ſecreta ſcire, ſi contigerit aliundè vulgari, te ſuſpicio premet. Si quis gratam tibi rem præſtiturus, venit, v.g. gratulari, ſalutare &c. gratiſſimum tibi oſtende, aliàs evertes impoſterum.

Si quis verbo, aut facto promiſſo non ſteterit, non exprobra, nil lucraberis niſi odium.

A Domino, quantum potes, vinci in ludo te ſine, in quo ſemper de gloria, de nullo tuo damno agitur, ſic fortis es, ſi alios homines viceris, etſi à ſolo Domino vincaris.

In quacunque fueris familiaritate Domini, nunquam reverentiæ, & ſubmiſſionis obliviſcere, aliàs putabit familiaritatem parere contemptum.

Non iacta te pertraxiſſe aliquem etiam volentem tuo conſilio in tuam partem, magis in poſterum reſiſtet. Non inſulta malo eventui illius, qui tuo conſilio non paruit,

po-

potiùs eventum in executore excuſa.

Iactantiam de opibus, robore, fictione, dexteritate, ſaltuque cave.

Si in majorum beneficiis, conſilio, auxilio fuiſti, non publica ſecreta, monitiones non indaga; ſi noſti ignorantiam, ſimula; ſi autem à majore ſis injuria affectus, non ſolùm non quærere, ſed nec te læſum aduertat, quia quem læſerunt, oderunt.

Dona vel minima veluti ſumma, ſi à Domino, depredica, ea te ſummè amare jacta, oſtende.

Dignitates toto pectore recuſa, nec multæ in te conferantur, quæ multùm nitent, & parvam utilitatem afferant.

ANIMARE AD ALIQVID FACIENDVM.

ANimabis hoc modo. Damna quæ intermiſſurus in te recipe,

pe,

pe , prœmia propone. Sic Dux , ante conflictum iubebit proclamare taxas vulnerum , qui tale , & tale acceperit , & damna in rebus ſe effuſurum ſarcinis ; interea caſtris imponat acre præſidium , ne militum animos ſolicitudo diſtrahat.

PRVDENTIAM ACQVIRERE.

VT plurimum ſileas & aliena conſilia audias , & benè apud te expendas . Attende ne paſſione amoris abripiaris . Non nimium tua ęſtima dicta , facta. Inutilibus rebus non occupare , & quæ nulli impoſterum uſui , denique alienis negotijs te non implica. Alijs gloriam factorum , etiamſi illis attuleris grande monumentum , literaliter tranſcribe , redibit illa ad te , & quidem cum favore , ideſt ſine invidia. Iram cave , & vindictam : Cum alienæ virtutes narrantur , libenter audi. Raro ad rara mirare . Conſilia raro da. Nihil facias ad emula

lationem. Lites vita, etiam aliquando cum tuo damno, res tuas quæ ſunt pretioſæ, aut facilè petendæ, nemini oſtende.

Si aliquis te ad aliquid faciendum impellat, vide, ut ſe in partem periculi offerat.

Si hortatio, petitio, & ſimilia habenda, & negotium aliquod ſuſcipiendum, lege priùs, & quærere iudices in Hiſtorijs ſimiles caſus, ut informeris, Legendi ſubinde Rhetores, illi enim ſuggerunt modos invidiam excitandi, retorquendi, excuſandi, minuendi &c. Debet quęri ambiguitas, quod ex noſtra dictione utrique parti, fiat quidem perſpecta, nihil autem concluſum, cogit enim ad hoc aliquando neceſſitas, qua arte iuxta Nazianzenum Ariſtoteles ſuas opiniones conſcripſit.

Hoc genere utere in libris, in odioſis literis, conſilijs pro utraque parte rationes per modum diſcurſus formando, cui verò adhereas, aut adherendum ſit, minimè declarandum, de huius quidem loco digreſ-

greſſio fiet, vel amphibologia, optando, apprecando, aut affectum tuum per aliquem modum Rhetoricum declarando; ſine te admoneri, etiam de falſis, nec te excuſa, quia nemo deinde monebit, ſed potiùs omnem affectum oſtende, quæ inutilia dicet, ſine tranſire, aliqua etiam fatere.

Exerce in hoc, ut ſemper pro utraque parte rationes poſſis dare, ad hoc lege Rhetorum modos, & Apologias.

Si ſis legatus, & cum hoſte agas, quidquid ab eo muneris acceperis, Principi tuo perſcribe, ut extra ſuſpiconem infidelitatis habearis, & hoc ipſum alijs caſibus applica.

Legatum eum non mitte, qui te adverſatur, quia contraria conſilia dabit, & ipſe dominare ambit.

Conſiliarios ſæpe mixtos habe (temperatos enim invenire rarum) frigidum unum, alterum igneum, lenem, & aſperum, conſule, ſic ad optima conſilia devenies.

Semper attende verſus quam partem fortuna flectatur, aut flecti poſ-

poſſit, etiam minimos Principis ſervos, & etiam majores pro te habe.

Habe ſingulis, aut certis diebus horas, quibus præcogites, ſi hoc vel illud acciderit, quomodo agendum.

Circa famulos, amicos, habe diarium, cuius folia ſingulis attribuãtur dictis in quatuor columnas. *In prima* nota damna accepta ab illo, quoties officio defuit. *In ſecunda* quid illi contuleris boni, cum quo labore tuo. *In tertia* quid ille tibi præſtitit. *In quarta* quid ille à te incommodi acceperit, & quos labores extraordinarios: ſic in promptu contra quærelas, & gloriam habebis omnia. Ex his regulis ſingulis diebus in colloquio practica.

Iuſtè aut iniuſtè à ſuperiore correctionem acceperis, ſemper coram alijs eum excuſa, & bona de illo loquere.

Quantum fieri poteſt nihil ſcripto alicui promitte, maximè fœminis.

Erga

Erga quod maximo affectu, & appetitu traheris (ſi potes) vita potiùs, vel ſaltem conſultiſſimè ei adhære. Tua, & ſi ſint firmiſſima ſatis, nunquam obeſt, magis firmare, quantum fieri poteſt, & ſupra tuam actionem poſtquam ea tranſiit, & ſupra alienam te reflecte, quid illi defuerit, quando capi potuit, quando melius inſtitui, &c.

CAVTE AGERE.

DVæ ſunt canti viri partes, *Cauta confidentia*, ut dum coram amicis in cuſtodià agitur, cùm tamen multę ideò ſint amicitiæ ut decipiant, nulli fide, niſi ſuſpiceris.

Altera eſt quædam *Generoſitas*, qua nolumus indiſcriminatim verum cuique dicere, errores, aut mores corrigere, cuius quidem rei ſpecies ſimulationi præfertur, hæc utilis eſt, ipſa verò vix indemnis fuit.

Nullum ſecretum concrede; quia nullus eſt qui poſt horam hoſtis fieri non poſſit.

In hilaritate vitæ nil agas, errabis, aut proderis.

Non præſume, quod aliquis tuum factum in bonum interpretur, vix enim tales interpretes in Mundo ſunt duo.

Literis nihil committas, quod à tertio legi nolueris; imo eius laudes pone, ut ad eius veniant manus.

Si advertes aliquem ex te volentem notitiam rei extrahere, ac fingere ſe ſcire, non corrige errantem.

Vitia aliena aut diſſimula, aut excuſa, affectus tuos claude, aut contrarios aſſume.

In quantacumque amicitia cogita odium; in fortuna, adverſitatem.

Victor ſi ſis, in nullo caſu nobiliſſimos captivos hoſti redde, vt fortuna vertente habeat hoſtis, cur ad tibi parcendum cogi poſſit. Imò & hoſtium Ducibus fac beneficia, conſervando aliquem cum eis

cor-

correſpondentiam, niſi neceſſitate premaris inexcuſabili.

In ſpecie nihil age, niſi promptum ſit rationem reddere, quia homines eam non expectando, tua facta damnabunt, ita nunc vivitur, ut certæ virtutes damnentur, ne dum dubiæ.

Inferiores, & famulos, ſi à te quippiam petant, iube ſcripto relinquere tibi, ut meliùs omnes circumſtantias inſpicere poſſis, ipſe tamen reſponſa non niſi oretenus expone.

Si cum aliquibus converſeris, vbi periculum eſt, ne in verbo capiare, proteſtare te multa joci cauſa dicere, imò ſæpe contraria aliqua tentando, in aliis connivendo; & hac ratione ſi aliquid incautiùs acciderit, excuſare poteris antea proteſtatum fuiſſe, te non raró quędam joci cauſa dicere.

Si Ludo, Venatione, & Venere violenter obtrudaris, & ab affectibus abripiaris; ijs prorſus interdic, aliàs multa incautè es commiſſurus.

Cum

Cum infantibus, ſenibus, duris, & iis qui ſunt labilis memoriæ, inſuper cum Tyrannis coram teſtibus vt plurimùm age, mandata ſcripto accipe, pete.

Conſilia hominibus ferocioribus, impetuoſis non da, ab euentu judicant; ubi credibile eſt te obſervari, pauciſſima loquere, facilis in multis lapſus.

In omnibus obſerva vitia, ac virtutes, ut ſi opus ſit, in alterutram partem declinare poſſis: erit hoc armamentarium ad multa & utile.

Valvas feneſtrarum ad intra habe, & qua parte feneſtras contingunt nigra ſunto, vt non dignoſcatur clauſa feneſtra ſit nec ne.

HOSPITEM INGRATVM EXPEDIRE.

CVm famulo habe condictamen, ut ubi ſignum à te acceperit te vocet veluti ſumma negotia.

tia vrgentia auri inſuſurrando, vel tabellarium cum literis immittas, vel damna facta annunciet, vel inter ſubditos turbas, à medicis tibi prohibitum loqui, bibere &c. Equum ſtratum adduci cura, quaſi diſceſſurus ſis, detur avena equis; ſed lupina pelle priùs agitata. Detur ſtabulum, ſed ubi lupi cadaver ſepultum. Detur cubiculum, ſed in lecto ad hoc de induſtria facto, feneſtræ, & ubi pluerit, aperiantur. Caminus occludendus vt fumet, fornax initio ſuccendenda.

CONVERSARI CVM ALIIS.

NOſce te ex quibus ſis. Aliqui ſunt, quorum diſcurſus initio nulli grati, ſenſim dulceſcunt, & prudentia non ſtatim quaſi è veſtibulo prodit. Alij qui ſtatim prudentes, docti, ſed longiorem moram afferunt, & turpiter, aut in judicio, vel conſequentia delinquunt. Sic ergo congreſſus tuos at-

attempera. Si enim è prioribus es, rarò eſto in colloquio, ſed longior; ſi è ſecundis eſto frequens, ſed breuior ubi gratus habueris.

Hoſpes rarus eſto, ne vileſcas; Materiam eam colloquijs abſume, qua aliquem ſcis affici, cum quibuſdam de imaginationibus, cum aliis de armis, de poeſi &c. laudando.

Non agas dum aliis negotiis diſtractus es, quia tunc tibi minùs attendes.

Cum Melancholicis eſto gravis, cum Colericis bilax; & patiens ſi ſis inferior.

Gravitatem non affecta; cum docto, aut negotij experto paucis verbis, nec multas rationes congere, ſicut è contra apud rudes. Adverte tempus, an ſit alienum; Eos qui factione, aut gratia prævalent, quibuſcumque modis tibi ſtudeas reddere amicos, in occaſionem omnem intentus eſto, præmeditando v. g. ſi quiſpiam te in aliquo congreſſu conſtringeret dicto, concipe quemadmodum aculeum ſimulandi pacatè, verbis reſpon-

ſpondere, & certò tibi perſuade, te talem exteriùs proditurum, qualem te interiùs formaveris.

Si de tertio loquendum ſit, nomen eius ſileatur, imò locus, tempus, & omnes circumſtantiæ, ne fortè tranſiens ſi audieris, conijcere de quo ſit ſermo poſſit; quibus difficulter creditur, & habentur pro fictis, eſtò ſint veriſſima, ea nunquam iterum proferas.

Cum omnibus reverenter, ac ſi ſuperiores eſſent, age.

Sinceritatem in iis exhibe, quæ ſi evulgentur, aut non damnum tibi allatura, aut laudem, v.g. virtutes concreditas, & non fictas.

Cave cum iis converſari, qui ſe tibi ad omne facinus venales, & faciles exhibent, quia & contra te erunt.

Vita furioſos, & deſperatos, quia cum illis agere, res eſt plena periculo.

Cum Principibus ſemper verbis parcior; malunt illi audiri, quam audire. Philoſophum hic age, non Ora-

Oratorem, utcumque ſint familiares, eſto reverens.

Senibus da primas ſedes, patere monita, lauda, & venerare, nam promptè accuſant.

Gloriabundos lauda, venerare, inter rudes conditionem lege. Cum multiloquis, qui omnia in ore habent, rarus eſto.

Diligenter, quod aliquis amat, lauda, quod oderit vitupera, contrarium, etiam inſcius agendo, offendes.

Quando cum ſingulis agis, agas, ac ſi amicum illum, & non alios haberes amicos.

IOCARI.

NIl obſcenum dictis, factis inferes (hoc enim eſt ſcurrarum) nec alia exprime, ut aves, aut animalium voces.

Nunquam jocos veros, & quos alter erubeſcat defectus naturæ, aut morum contineat, quia acrem

acrem ſui memoriam relinquunt.

Non etiam caſus adverſos alienos, præſentis, nec abſentis referas, audiendi hi ſunt, non dicendi. Pro honeſto, & amato colloquio legendi ſunt Authores, qui eventibus res plenas narrent, imò Poetæ, ut condiſcas affectus miſcere. Deſcriptiones cum nomine nunquam libentiùs agas, aut aliquid reprehenſibile committas.

INSIDIAS ELVDERE.

CVm amico litem ſimula, ut ille veram litem ſuſpicetur, animum prodet, & ea volet vti commoditate; tum ſubito vinctis amici viribus inimico ſubſiſte; & abſiſte; valebit & contra latrones in via inſidiantes, vel in alijs vbi ſcis eſſe inſidias aliquas; relinquere & progredere vbi inſidiæ contra te movebuntur, fuge, & eos induc in inſidias. Et, ſi à potente ſtructas in verbis diſſimula, ne in apertam

viam

viam erumpat, ſed mediam viam in reſponſis quære, ut nec in plagas incidas, nec te dolum advertiſſe oſtendas.

Si aliqui te inducunt ad aliquod factum ut in eo lædaris, oſtende te id prono animo facturum, & ad illud te pæpara, niſi ſit difficultas in medijs comprehendendis; & interim à re ipſa aliud oppoſitum intende.

PECVNIAM ACQVIRERE, RETINERE.

Modica dona non contemnas, & diſpendia averte, nec in ijs ſis largus, ut partes panis, ciborum, circa equos avenas malè abire non ſinas. Cum bonis Oeconomis conferas, & ab ijs induſtrias addiſcas, cogita quid ex agris vendi poſſit, quid plantari, elaborari, & pro eo opifices adhibe.

Noueris totum tuum proventum, notos ſemper reſpice.

Si expenſas facturus es, præcogita priùs quibus id modis tantundem recuperare poſſis, ut nil decedat, ut ſi quis ſtrenuis militibus ſtatuit v.g. quatuor millia ſcuta, dare. Prius indicet pœnas pecuniarias pro aleatoribus, & ſimilibus vitijs, ut ibi refundetur largitio.

Res utenſiles, quæ uſu pereunt, vel pretium perdunt, pretioſas non habe, ſed præcisè ut tuo ſtatui ſufficiant, ut vaſa argentea inquibus magis opera, quàm pretium æſtimatur, quia ſi neceſſitas fuerit, parùm providiſti.

Diſpenſatoris fallaciam ſic deprehendes, ſi poſtquam dedit rationem veluti oblitus, iuſſeris eum, vt poſt aliquot horas è memoria dicat eadem, diſſonabit, ſi falſa ſunt.

HONOREM OBTINERE, CONFERRE.

SVade in primis neceſſe eſſe honorem conferri, quæ talis ſit, te-

teipſum per circumſtantias deſcribendo. Tum verò primum ab eo te excuſa veluti fueris in eius poſſeſſione in hoc gradu in quo es.

Conſilijs bonis, & claris ſtudæ, & multa unde, quæ in vulgus grata; conſtructiones publicorum ædificiorum erga inopes, & ea quæ non actu ſubditorum ceſſa fieri poſſunt.

Tuis talentis, & condignitate, ad quæcumque munia nil fide quaſi tibi neceſſariò debeant conferri, cùm nullus ſit æquè idoneus, quia malunt indignis, quam talibus conferre: Sed ita age, atque ſi mera gratia Patroni obtinenda eſſent.

Officijs præveni, obſequia promitte. Interceſſores adhibe; Occaſiones ſerviendi non promitte vacuas; Te extenua, & palam indignũ dic & gratias ſummas acturus.

Si officium quod habes, potentem requirat, & nemo te ſit potentior, ne à te transferri poſſit, omnes illius proventus in perpetuũ dilargire, ut ad illud quiſque debeat ferre vires, non invenire; & ſic penes tuam domum manebit.

Semper altiſſima appetere optimum eſt, ut ſi ſtudeas, tantum ſtude, quantùm potes, etiam ſpreta illa jactantia ingenij, quam aliqui docti in ſtudiis volunt videri. Si virtutes petis eas in alto gradu dignitates quàm maximas potes aſſequi, unde & in omnibus locis te ſecuriſſimè colloca.

Adminiſtrationes bonorum non dentur perennes, ſed ad triennium, ut qui bona auxerit, res pacatiùs geſſerit, in eodem munere confirma, ne ſecuritas ſocordiam pariat.

Dum fortuna favet, ea utere, quia facilè fugit.

Dum es in amore, pete quæ potes; ſimula manſuetudinem, iram, præmia honore præveni.

PETITIONI RESPONDERE.

NOn ſtatim nega, ſed diſcurſu facto; & ſi ſemel negaſti, ne ſis levis, non niſi ob graves cauſas con-

concede ; negaturus aliquantulùm cogita, deinde dolorem finge, vel literas ad te veniſſe, vel dolorem nunciatum, ad quod oportebit habere famulum infucatum, ut ſigno facto faciat, oſtendet geſtu, & verbis, quod illi ſatisfacere non poſſis, lauda petitum eius, & ſi perſiſtat petendo ad deliberandum aſſume quomodo tuo affectui erga eum ſatisfacere poſſis, commenda famulo priùs inſtituto, ut exequatur, docendo eum modum faciendi, inſtruendo, ut veluti ſua curet; ſi ad alterum remittis, ne nihil petenti præſtet, oſtende illi modum, quomodo eum accedere poſſit.

Plebis eſt ingenium impetu volare, mori, languere, unde ſi iniuſta petat, non ſtatim nega, ſed ſplendidis rationibus, & aliquibus gratiis differ, ſi verò aliquid gratum ſibi deſideret, ne morare; aut deſinent, aut in contrarium ibunt.

Sint odia alicuius tibi velut accepta, in hac ita non ſunt falſi ſicut in amore.

Si alicui munus non poteſt ne-

gari, tale concede quod ſibi periculum infert, & non turbet homini exercitus adminiſtrationem; ſpecie honoris in aula retinendus eſt, inveniendá ſunt munera honoraria, ut in munerando ſumptibus parcat, ut olim apud Romanos laudatio laureatæ Armillæ &c. nec minùs his ſpeciebus ducentur animi virorum, quàm muneribus.

Habe ſtatutum anni tempus, aut ſaltem intra triennium circa famulos deſcriptum Catalogum, pervolvas dum ex officijs aliquos dimoveas, aliquos altiùs attollas, munera diſtribuas, etiam alicui petitioni aurem præbeas. Promulga ſi quis per ſeipſum rogavit conceſſurum, & negaturum illi, ſi per alios curet, impoſterum omnia negantur.

AFFECTVS QVOSVIS ASSVMERE.

Conſice tibi exempla affectuum ex Poetis. Qualia habet *Pala-*

latium Eloquentiæ, & quibus indigueris, eum tamdiù age donec combiberis. Nulli etiam amiciſſimo concrede te, id ſimulabis facere, & non minùs vultu,quàm animo ad affectum flexum quàm verba habeto; non pauciora ex facie leguntur, ipſam tuam timiditatē victam habe, vt rei conſcius non minùs animosè, ac in ſimilibus agas.

CONVIVARI.

VT tibi conſulas ea plurima cura quæ ſeruari poſſunt, vt ſaccharota vel ex cera figurata, fontes, montes, muſica ſpontè ſonans, item ea quæ exigunt pretium, rara tamen ſunt ſtemmata eorum, quos tractas, expreſſa, feræ pellibus indutæ candelabra in menſa teneant, potus variè colorati, & ijdem diverſo odore, ſapore veluti tranſvectiti j, inuecti, item vina artificioſa, qualia *Arnoldus de Villanova* deſcribit.

Floreæ coloratæ lactucæ, oua ingentia ex pluribus compoſita , & atomatibus condita , candelæ ex glacie ardentes , ignes odoratos , montes evomentes , fonte reſpergentes nives , & fructus fictos odoratos , vel in ipſa arbuſcula poma , menſæ allata , quæ omnia levi ſumptu in tuo horto creſcere poſſunt . Ipſa etiam olera veluti peregrina coloribus , & imbuta ſaporibus proponas . Poma in lagenas , & botros , carnes variis modis paratas , ac raris , de quibus *Plutima &* *Apicius* , quia in menſa non quod laudabile , ſed quod rarum extimatur . Item cancros vivos mixtos coctis , carnes cum oſſibus è farina factitias , piſces ex carnibus in formis ligneis expreſſos , ſuffuſis ſyrupis loco juſculi . Rotula ex glacie facta , quæ ſpontè concidant. Res aliquæ , quæ ſpontè colorem mutant , appareant , diſpareant , caſeos variè formatos , & temperatos , vaſa etiam, in quibus feruntur poſſunt v.g. fictitiis gemmis fieri .

DAMNA VITARE.

IN vjtiis minimis attende, factoreſque tui ſtatim tibi indicent, unde quid damnoſum immineat, ut non expectetur neceſſitas, donec acciderit, & ſimul ſuggerant rationem illius occurrendi, obſervanda rerum emendarum, & vendendarum ratio eſt periti circa ignota conſulendi ſingulis ſeptimanis Villicus dent rationem factorum &c. ſit unus qui omnibus inquietem dabit, domum perluſtret, an omnia clauſa, quæ abſint domo. Si fueris in aliquo officio, ſingula data, & accepta utcumque Dominus benevolus fuerit, candidiſſimè rationes referas.

AGERE NOVVM QVID.

INitio quatuor præcogita. Primum erit, num tibi utile, an ma-

gis damnoſum. Secundo an tibi dotes naturæ ſuppetant ad hoc. Tertiò an convenit hoc tuo ſtatui. Quartò ſi ſis in pretio ibi, ubi eligis.

STIPVLATIONEM NON PERDERE.

SI deponas aliquid cum aliquo certando de eventu alicuius rei, ſimul cum altero tantundem depone de contrario eiuſdem rei eventu, & ſic nil perdis.

In contractibus tibi oneroſis appone conditiones indeterminatas, quæ latiùs, & ſtrictiùs poſſint explicari v. g. dedita Vrbe omnia te ſervaturum ſi nullus motus excitetur, non adde publicè, an privatimà tuis, vel aliis, ſi opus fuerit, & rei æquitas petat; pacta reijcies. In promiſſis ſi hoc vel illud ad meam contentationem feceris &c. facilè erit oſtendere defectum.

ER-

ERROREM TEGERE.

SI contigerit verbo labi, aut quid inconſultum agere, finge te ſubitò dixiſſe ad aliorum judicium explorandum, vel quaſi aliquem exprimendo dixiſſe, arride veluti obtento, aut dole veluti non obtento fine.

Si aliquid ignorans erraverit, à nullo ita exquire, ut te advertat neſcire, erraſſe, idque precogita quomodo veritatem quærere, vel pete ſenſum alterius, quid in tali caſu faceret, tuum interim premendo, ne advertaris neſcire.

Si oblitus es alicujus dicti (id non ſimulantibus evenit) cave ne contrarium caſu dicas; unde præcipua capita, quæ dixeris, annotaſſe expediet. Confundendo alios ſummè cautus eſto, nam aut inſcitiam tuam, aut intenſionem prodes, ideoque priùs utrique provide.

ODIVM MALIS CONFLARE.

Lauda eum, quem opus gratiâ moveri apud eum, cuius gratia pollet, ſed ut laus in offenſam Patroni cedat, addendo talia communi rumore ferri, non tuum ſenſũ te dicere, relinquendo Apodoſin, quod ille ſuæ famæ debeat conſulere, & hoc ipſum intimandum, quod proximi fama periclitetur, ſimul firmandus, ut contemnat rumores, & vana ſinat ſeneſcere, ſentiet tamen ille rem ſuam agi. Vel lauda Clientem veluti compatiens eius affectus voce flexa, benè exageratos propone eorumque ſequelas, dic eximium eſſe, ſed ad hoc vitio deturpari, quod tace.

Nunquam minare cui nociturus es, hic enim præcauebit, ſed ſine te imparem, ne poſſe, & ſi velles. Retrahe eum tecum in amicitiam, adhibe commeſſationibus, ut incuſtoditum reddas, & occultos

ha-

habe teſtes, coram quibus dic, vt aliquid præloquatur, vel in Principe ne,& erit materia delationis.

Factum hoſtis exageras,quę mala ſequentur, niſi puniatur. Interim quo minus affectui tribuere videaris, deprecare pœnam, ſed inefficaciter, ac longè jacienda ſunt odia, mores, & facta interpretando, & ubi occaſio tulerit, debilitatis paſſibus in caſum impellendus.

Nunquam plures ſunt oppugnandi, ſed cum alijs interim amicitia contrahenda.

Semper tuas res priùs ſtabili, quàm alienas aggredere, nec vindictæ indulge,nec occaſiones tuarum rerum agendarum negligas.

AMICITIAM SOLVERE.

CVm nemine veluti vno ictu amicitiam ſcindas, nec accepta jniuria veluti odio; ſed reconciliatus, ac ferventi quaſi amore ſenſim diſſeces, aut ut dulciter

pe-

penitùs ſolvatur ; ſubinde tu congrediaris, & ſi occaſio urgeat, quaſi per negotia breviter alloquere, menſæ adhibe, ut non ſolùm tunc videaris amicus, quando eo eguiſti.

Si alicui de Patroni benevolentia confidas, præſumas, intellige Patronum amicum, cui rei maximè, afficitur ægerrimè, aut nullatenus daturus perſuade dicenti, ut eam petat, & ubi repulſam tulerit, quod tam exigua res ei negata, quaſi aliud agendo exagera.

Suade ut ab amico res petat mutuò, quos probabiliter deſtructurus; ut equos pro longua via, veſtes pro convivio, vel eo tempore, quo ipſe indigebit; ſi ergo cædat, læſio, ſi non, perinde erit. Vel quaſcumque alias res non deſignato tempore redditionis, ut ſic ſe, monendo, laborandove lædat, pudeat eum occurrere alteri, & ſic amicitia ſenſim frigeſcet.

Spargatur eum amici conſilijs vivere, ſuis nihil poſſe, imo amicum domum eius negare, etiam familiam, onera indicare, ſic rariùs

con-

convenient, & diſſolventur; vel effice amico, ut concredat ſecretum, quod interea fac alijs innoteſcere, pluribus ſic fidem ſuſpectam habebis amici.

LAVDARE ALIOS.

SPecie libertatis id age, te non niſi tuo iudicio, ac publico bono id loqui, & agere, nec magis odiſſe quàm adulationem: Lenitas etiam eius ac clementia excuſanda, eſſe deditum pietati, vt rigor langueſcat; Nunquam ea apprecare, quæ quidem, dum unum laudas, alios palam perſtringunt, niſi forte ubi turba, ibi plurimæ voces confuſę. Quare virtutem amici illaudatam relinque, vitia diſſimula.

NE SE ALTER AB OFFICIO EXCVSET.

PEtitioni, ſeu excuſationi dic eius ſatisfacturum quando meliori eius bono tete non conſuluiſſe. Literas relinque, quæ poſt certum diem tui diſceſſus legentur, interim omnibus officium eius denuncies. Si reſcripſerit ad te literas, nil ad eas reſponde. Si oretenus deprecetur, dic eum eſſe ſimpliciter in eo ſolùm ad breve tempus, brevi liberandum ſi videbitur, debere cumulare, ut poſſit oſtendere merita ad invidiam alienam retundendam: tuum enim hoc officiũ ſolis conferri, qui ad majora promovendi, quorum virtus perſpecta.

IRAM TENERE.

IRaſci nulli properes, quia ſæpiſſimè deprehendas rem ſiniſtrè de-

delatam à te intellexiſſe. Si quid interim ira afficies, tibi damnum manebit.

Si lædaris, optimum diſſimulare, quia lis litem generat, & pax amittitur, & licet vinces ipſum, hoc erit durius quam vincere, & interim plura contra te excitabis.

Reſtringentibus optimum reſpondere intellectum quod ironicè, aut malignè loquuntur, ſed candidè ad verba, non ad eorum mentem reſponde, & interea te aliis curis occupatum ſimula.

Si te convicio quis aggrediatur, non nominando quidem, ſed factum, de quo illi ſuſpectus es exagitando, ut idem factum ſeriò accuſa, & hominum talibus nequitiam veluti nullo modo conſcius eſſes, vel ſimula te non intelligere, & omnia alia reſponde. Si verò etiam te nominet, ita age, ac ſi non ſeriò contra te, ſed iram fingendo inſurget, tum dicta jocoſa appone, quæ illum non perſtringunt, ad hilaritatem componant, vel te ſimul cum illo increpes, ac ſi eſſet aliquis tertius,

tius, & plura tu quàm ille carperes, & poſtquam deſuerint levioribus modis eam excellenter exagita, oſtendendo, quàm cauſa futilis ſit.

Si contigerit te intrà convenięns accipi ab aliquo, diſſimula, & inimiciam abſconde, & eodem modo age, ac ſi honorificè eſſes acceptus. Sic illi pœnę erit illius inurbanitas, & confuſioni, & errorem beneficientia compenſabit.

Nobilitas tua cauſabitur noua, ſi quiſpiã in honores novos debacchetur illius partes benè veteris ſanguinis laudes, par iſto ratio de aliis caſibus. Si conuitio apertò peteris, [illegible] locus diſſimulationis non ſit, jocoſa reſponſa habe in promptu, vel narratiunculam, quę ad rem faciet utrumque ordine, per quam tamen paretur via præfecturis aliis ſermonibus haberi hos caſus, qui ſigno datò literas offerant, cum novis dic aliquid lepidi contigiſſe ad aliquod fortuitò ſpectandum evocetur.

Relinque inimico tempus, vt ipſe indignitatem facti advertat, non ta-

tamen illi proponas, ne quaſi ex tua parte occaſio iræ ſoleat eſſe, ſi quis infallibiliter intra certum tempus deſtinet negotium abſolvere, & interim aliquid occurret, à talibus propoſitis cave.

FVGERE.

AQua fortis tibi veluti vinum aduſtum feratur, qua compotes, riga veſtem tuam ſtramine, repete, ac ſuſpende; Cuſtos te credat deſperatione actum, ac neglecta Cuſtodia in alios evulgabit, fruere occaſione, morborum ſimula, ut ſedes ſanguineas, rubicam edendo, pulſus alteratos propè cubitum tangendo, pallorem edendo, hinc pete ut Medicus vocetur, te inſomniis fatigari queraris, petes in domum Cuſtodis transferri, & ſecum dic velle cenare, pete tibi ſoporifera, qua in potu hoſpiti propinabis.

Dum fugam paras coram tuis, dic gladio te fugam ſumpturum, vt ſi

quis

quis eorum ab inſequentibus interrogaretur, ſpe eos deijciat inſequentibus, cruentum gladium abijcies in via, veſtes in ripa fluminum relinque, quis te in undas abjecerit, vel perſuade socijs, ut ſe in tutiora recipient, ac ubi ſolus eris domum in qua ſolus, concrema, veluti te ipſum exuſſiſſes, equum habe tractabilem ſoleas duplicabis clavis affixas, commeſtibilia duratura.

Nunquam de una via interroga, ſed de pluribus ſimul, & ſpectante aliquo eam concipe, quam minimè intendis, item ex Civitatibus, Pagis, egrediendo primum in campos, mutato habitu, pallio, viſu, propoſitam viam regredere, ſi inſtant, qui inſequuntur, dimitte equum vulneratum, & vbi in eorum manus devenerit, ſuſpicionem facient te occiſum, ſine in flumine, aut puteo pileum natare, ut credaris ſubmerſum eſſe. Item habe tegumentum equi, ſeu ſuteras amplas quarum colorem ubi volueris mutare poſſis, larvam ex membrana

na expreſſam ex vtraque patre pi-
ctam diverſis faciebus, ut illas pro lubitu aſſumere poſſis.

PVNIRE, CORRIGERE.

Manu tua ne crudelitatem contrahas, cædere cave, ſiquam oporteat benè puniri, & caſus gravis deſit, ſic parabitur. Prolem, & quam condonare poſſis, aut ſoleas leviter puni, ille indignè feret, queri, ac murmurari incipiet, iterum puniendus, iterum queretur, dum veluti contumax, gravis noxa reus dabit maiora pœnæ majoris. Iuvenes aliquando, pœna magis accenduntur, permittenda itaque illis quædam, ſed talia, quæ cupidines expleant, non ad alia aſcendant, hoc eſt non indigerent alia ad ſe obtinenda, nec ſimilia trahant.

Si aliquem è domo tua, aula, officio depoſueris, idque alios malè habeant, ſparge, & palam dole, tandem te advertiſſe, ab eo te inclinari ſo-

ſolitum in damna ſubditorum publica, & eorum qui caſum eius attendunt ab hinc res ſuas meliori loco, ſed quiſque poſſit ſufficere omnibus ad hoc confirmandum fac ea, quæ fidem faciant, ut ſi diſpenſatorem dimoviſti per eum ſtetiſſe, qui minùs ſoluerentur ſtipendia, & ſtatim cura ſolvi.

Iuſtitiam adminiſtra in aliena pelle liberaliter, ubi tuum damnum non infertur, ut ſi tuus Gubernator ſubditos preſſerit gratiæ referendæ moneat (ſi ea publica ſic exigit) ut eas repetendas ſibi adſcribunt, ſaltem ex ſpontè ad aliquod onus ſe obligandi.

Si velis corrigere aliquem, cum eo ipſo de remedijs delibera, gratiora non habebit, quam ipſe invenerit, item ipſe ſibi pœnam ſtatuet. Eſto in inquirendo Inimicus, diſſimula cùm potes ſine alterius damno, & contumelijs erga ingenuos abſtine, da illi literas ad certum tuum factorem perferendas commendatitias alias; Occultè premas, quæ eius pœnam contineant.

Si-

Si aliquem vis ad meliorem frugem reducere, pone illum in officio, ut illum errorem corrigat in alijs quo ipſe laborat. v.g. Ebrioſus ab ebrioſis pœnam exigat.

Si aliquis ſe ſatis humiliet, & palam, parce ne deſperatione agas in pejora, nec ad id coge, quod maximè reus recuſaturus mediocri vindicta eſto contentus. Poſt decretam pœnam mediocrem expectari debet, ſi fortè nova vita oriatur. Vbi ad reos progrederis nō oſtendas te adeos viám abſtuliſſe, ut nullus auditis ſceleribus iram acquirat, oſtēde te natum quidem ad clementiā.

SPEDITIONEM COMPONERE.

NVnquam plures, vt tecum agant, nón admitte ſed vnum è medio ſui eligant. Philoſophi petunt ex quibus cauſis fiat motus, ſi ob vſuras, ipſe accommoda ſine uſuris, propone magna præmia. Qui ſeditionem compoſuerit, mo-

modum componendæ ſeditionis ſuggeſſerit, Authores ſubſtulerit, prodiderit, ſi ſit ferox, populus tutè omnia per viros bonos ad virtutem componendus, Timor Dei, & Pietas inducenda, hæc ſola emollient. Inuentores factionis ſparſis rumoribus inſimulandi, quod occultum priuatum bonum, dominationem de illorum malo, & ſanguine quærunt, nihil inde commodi reportaturos.

LAVDES PROPRIAS AVDIRE, DICERE.

PRouidendum, ne vel in comparationem vergant, vel ſingulares, & ſi vera, quia rarò rara fidem inveniunt.

Si quis palam te laudet coram Principe, dubita ne te clam accuſaverit. Cum maximè laudaris adverte ne in caveā ducaris. Vbi omnia tua laudantur, vel pro omnibus gratię aguntur, & omnibus antepoſitus

ſitus es, ſuſpectiſſima omnia habe.

Ne per jactantiam totum quod potes, dicas, quem ſic adverſarium informabis.

Si velis gloriam tuam libellis, quales ſint, qui panegyricos continent divulgare, tali libello id age, qui facilè ab omnibus coemetur, & in varijs mundi partibus æſtimetur. Ideoque Authores talium præno-ſcendi, & tuū nomen laudeſque interſerāt; plus enim hæc te divulgabunt, quam ingens volumen, quod nullus empturus aut lecturus.

PACEM INTERNAM HABERE.

NEc deſtina tibi; nec in eo laudem pone, vt intra determinatum tempus omninò aliquid peragas, quia vel multa interim omittas intercurrentia non proviſa, vel ſi impedieris turbaveris.

Perſuade tibi non eſſe probabile ut à tuis error aliquis non cōmittatur, nil deſtinatur. Quærelas tuorū de te contemne ſecretum, vel non accepta ut ſecretum, vel tene.

Aliena depoſita vita cum ſuſpe-ctis hominibus de garrulitate non plus age quam uſitatis formulis, ut sũt quomodo valeat &c. Vltrò nulli operam ad intercedendũ promitte, ſi non ſuccedat, turbaberis.

Per te ipſum res apud artifices fieri non cura. Cum querulis, gementibus fœminis, & contumacibus, nullum habe negotium. Si cogaris ad ea loca abire, quæ tibi non placent, recuſa, fer tua negotia, & in illis age, vt aliis vſibus eſſent deſtinata.

OBLOCVTIONES CONTEMNERE.

LAudes, & ludibria, adulationes, ſcommata nullibi magis fallax genus humanum, paſquillas contrahe ſcriptas, & ipſe lege, & legi cura, ride, ſic enim deſperabit Author.

Paſquillum contra te in publicum non prodi, negotia finge, ſi tamen prodendum eſt Paſquillum domi ſæpiùs legas, & ad eum ride-

re

re diſcas affectus accomodatos aſſumere, imaginare te interim illud derideri, obijci quæ fingas, & ea reſponſa, præmeditare congrua aſſumpto affectui.

Non ſemper obtegendum, ſi quid adverſi accidat, ne ipſa diſſimulatione credatur veriùs accidiſſe.

DEXTERITATEM IN AGENDO ACQVIRERE.

CVm indolendum alicui, quod patiatur ſolare, ut aiunt Rhetores per locos communes non attingendo, ne ea occaſione laudas. Si coram te quiſpiam vituperatur, cautiſſimus eſto, nec lauda, nec damna, vtrumque odioſum.

De ſuperioribus tuis, & ſi illis ſis offenſus, bene loqueris, nec patere, aut diſſimula alterum loqui, etſi tibi placeat. Veritatem eorum, qui coram te aliquid accuſent deprehendes, audi accuſatores tuos oretenus, & puncta adnota, deinde jube tibi ea ſcripto dare, & dic id te

agere, ut in faciē accuſati legantur; confer, & veritatem cognoſces.

SVSPICIONEM AVERTERE.

LEge titulos *Gratiam comparare, Offenſam vitare, Cautè agere*, ſi ſuſpectus es aliquos accuſatores te maculaſſe coram Principe, inſcribe literis ad eundem, quæ laudes contineantur, mitte eas, *ut ad ſuſpicantes deveniant*. Vel ſi eos vexare velis, inſcriptas intus literas capi permitte varia artificio ſuſpicabuntur, ad aquam, vel ignem; legi poſſe; uel potiùs ſolùm ſcribe, primas, *& vltimas* ſyllabas cuiuſq; ſententiæ, & apertè deprecare te non velle ad Principis manus eas pervenire, ne adulatorem eſſe videaris.

MALOS SVBVERTERE, DEPONERE.

SI deponendus ſit quiſpiam ab officio, priùs illi non ſubminiſtran-

ſtranda per aliquot tempus pro neceſſariis pecunia, vt debita talia contrahat, qualia ſuffectura in pœnam, dum ab officio removendus debita non ſatis habendo, ut ipſi creditores ab eo exigant; Sic tu ſine moleſtia eum pecunia puniviſti.

Si quis Domini potiatur gratia, depone illi pecuniæ ſumma, vel rem quam Dominus accuratiſſimè claudit, vel quæ uxorem maximè concernit, noctu ei aufer (idque conveniendum per modum ioci) & ſimul præmonendus Dominus, ut attendat ſibi inſidias, & corruptum eſſe famulum, qua omnia præmeditanda.

Si timetur, ne læſus turbas concitet, ut velis Ducem exercitus officio privari, priùs eum ex abruptò vinciri procura, alium gratum ita occultè redde, ne id appareat; & tandem exercitum eius parti trade, da ſolutionem exercitui ex tuo, ne amiſſum deſideret Ducem.

Si *aliquis* clamosè nimis in menſa, v.g. diſputet, falſum afferat, iube cartam afferri, ut ſuam opinionem ſcribat, eidem ſubſcribat, cras

de ea litiget, & ſiquem faſtuoſum advertas tuum ambire officium, cui ſit impar, vt ſi ſis Dux belli, nam in hoc genus maximè cadit emulatio, *Hoſtem exaſpera* difficilia omnia redde, tibi tamen quo ad caſtellum commeatum optimè provide, pete velut alio bello diſtractus ut ille tibi ſuccedat, nec illi rationem belli, aut locorum, aut hoſtis redde, ſic in anguſtias incidet, nec propera ad ſuccurendum, donec ſe, & te cognoverit. Si expediat aliquos iuvenes molliſſimè ſubverti, ut effæminatè tractentur ingenia invita, canendo, pingendo, ſculpendo, frangentur; Præfectus ſervos habeat, quibus nil penſi in honeſto ad omnia venales ſint cupidines Iuvenum ſequantur non regant; idem eſt de aliis, quibus ſeruos tales ſuggere deſperatos, ut in illos impingant languidi, *ſegni venatori venatores mitte*, per ignotum quempiam ab amico eius literas reſponſorias, & illas velut ignavia ferentis amittere ſine, vt à pluribus legantur, ut negotia eius non ſuccedant, multa agenda ei ſimul impone, ut ni-

nihil obtineat, multa petenda, quærenda ſuade. Animalia illius, quibus oble&atur, arte interfice v.g. cibis piperatis crocatis conſigna, ut rabidus reddatur. Equum quo uſurus medicamenta altera, ut accepto ſeſſore furioſus reddatur; Ingentia prœmia appone ut ad leonem v.g. ingrediatur, in rem evidenter periculoſam incidere videbis.

PEREGRINARI.

NVlli pecuniam tuam patefac, imò ſemper modiciſſimam pecuniam accuſa, ſi quæreris ab aliis, quorum non intereſt vnde venias, quantum potes illude, nulli concrede uersùs quam partem eas, ſemper aliquos versùs quam partē itur, roga, & à diverſis diverſa.

Caue ne rixantibus te aggreges, ſolent enim rixas inire, ut ſi eas intres, te ſpolient, tua diripiant, imo quibuſcumque ſcommatis petitus, diſſimula.

Cave etiam illis credere: quis ſplendidè, & velut alti ſanguinis

ornati, niſi aliunde tales noueris eſſe, ſępe enim fures ſunt larvati.

Lectum non ingredere, niſi immediatè ante cum lumine circumquaque perluſtres, ſimiliter cibos; Non adhibe famulos hoſpitis ad obſequia circa te, ne tuos ſaccos hoc tuo acceſſu luſtrent.

Librum tecum ſemper aliquem refer, ut tempus fallas, tutos ſocios habeto, & ut præcurrant potius quam ſequantur. In locis lubricis, montanis ferramenta utiliter applicantur; ſummis pedibus inceditur.

In ſermone paucus eſto, ne etiam in multiloquio in tuam pecuniam aut vitam pecces. Boves tutius equis incedunt per montana.

VANA NON APPETERE.

CVm agitur de re ſeria, & magni momenti viam ludricam aliis concede, ut applauſum, gloriam &c. v.g. Vult urbem hoſtis reddere, honeſtiſſimas conditiones agnoſcat ſe non eſſe victum, ſed

ſed gratiam præſtare, abeat vexillis expanſis; nil ipſi quoad inania deſit, vel quod victos aptare poſſit, dummodo terris cedat, captivos tradat, & aurum, munitioneſque relinquat, & id cum Sol occidit. Idem eſt de rebus, quæ operis ſubtilitate, varietate, uti flores &c. talia alios in præmium habere deſine, non te. Nullis dictant præmiſſis monere, ut ab illa aliquid damnum in præſens habeas, ut ſi fortè ſe tibi gratum foveat xeſeruiturum, voces, & non ultra, & in quos non plus par eſt, impendere quam voces ſunt, talium ſtatim obliviſci tuum damnum, tibi ſemper manet.

Gloriam, & nomen habere ſine aliis, tu ſolidam potentiam quęre.

Si ad aliquid ſplendidum promovearis, etiam eum promoveri cura, quem metuis, ne turbas moveat, ſed de munere gloriam, non fructum capiat.

ARGVERE, EMENDARE.

APtum illud tempus eſt, quando ſubditus nil aliud quàm

laudem expectans venit ad gratulandum, tu reprehende; Modus hic ingenuos arguendi eſt.

Etiam minima facta lauda, ſic diligentia creſcet; optimum eſt per amicum illius in confidentia, & ſecreta monere.

Si quis illicitis amoribus implicitus, eumque velis liberum, cum negotiis tumultuoſis obrue; ſuborna qui dicta, vel facta carpant, ad te deferant, falſo teſtantur, tu nullum factum ejus approba. Vide inſuper cum quibus agat, eos reſcinde non minus in eo genere exempli, viri viris, fœminæ fœminis, quia diverſus ſexus nocuit. At tribuendi ſocij, qui nõ virtutibus, ſaltem contrarijs vitijs laborant, hic ferus, ille blandus, illi ardentes, iſti remiſſi.

AFFECTVS SIMVLARE.

AFfectus ſimulabis, falſi cultus ſi diutius ſint in publico, tandẽ adverſantur; unde præſtat abſtinere luce, & alios qui verè tales affectus habẽt, pellicere ad idẽ. Optimũ erit

te interea ſerijs diſtrahi, ut ipſiuſmet affectus, quẽ legere vis, obliviſcaris, ſic nemo ut cũque te ſpeculetur, irã, & lætitiam ex te colliget.

MVTVVM DARE.

IVbe, ut famulus qui res dat, ſyngrapham præbeat, in quæ omnia deſcripta, ſubſcribendũ, quaſi ſuam cauſam te neſcio agent. Ideoque ſi hunc caſum evitare nequeas, expediat te prædicare debitorẽ, vel aliquid ęquivalens ſimul mutuo petere; fingendo te egere, vel te quidem non abundare pecunia, quam amicus petit, poſſe tamen inuenire, & quidem ſine fœnore, dummodo pignus præbeat, vel ſi res habeat dividendas teſtatione pretium acquirere, ſi aliquid apud te deponat.

VERITATEM ASSEQVI.

VT verum aliorum judicium de tuis rebus acquiras, age illas ut orationem tuam alter dicat ut

ſuam, vel ipſe lege factum tuum, & & illud ad ulterius refer aliud judiciũ, aliud humanitas in amicis; idcirco fide nõ humilitati lauderis, ex laudibus in aliquid impelleris, humanitas eſt, nil illi ſcribere, ac interdum de negotio diſquire, factum approbatur, minus humanitas eſt.

ACCVSARE.

VLtimum eſto ad accuſandum; & litem non moveas illi, quem ſcis gratiorem eſſe judici quam te, niſi prius animum an in tua cauſa adverteris.

Si litem moviſti, aut tibi mota, etiamſi tua cauſa ſit æquiſſima, ita age, ac ſi extremè mala eſſet, cõveni, & præveni Iudices muneribus; aggredere cũ adverſario mediatores, & cũ nomine conveniant, quære præmeditare exactè, & per otium ea quæ ſibi obijci poſſunt, quęre ſponderi, omnia tamen ſecretiſſima habeto. Nulla ratione adducaris, ut tua jura, aut privilegia alicui oſtendas

das, quia dabis quid advertant, & explicent. Ingenium agnoſce eorum, quo accuſaris, ferox, an ignarus, ut tibi moderari ſcias, ſi ferox tempus ſelige, quo ille in fervore, ſi ignarus lentè agendum eſt; curandum etiam ne ullo mode delatus ſciat ſe accuſatum, & in qua cauſa, ſed ut illi ſubitò accidat accuſatio, qui etiam exercitos in ſua cauſa turbat.

Delige etiam, qui tuas partes promoveant, parum refert, cuius noxæ, aut formæ homines, dummodo Iudici chari, illoſque involve periculo, oſtendendo illorum rem agi, ut perſuadeant ſibi ſe non poſſe acquieſcere, niſi extremo ſuo diſcrimine agas, inſuper ut cunctæ accuſationes; non in modum cauſæ, aut litis, ſed amicitiæ, aut ſecretæ commotionis peragantur, immiſcenda atrociora ex ipſis Iudicis vitijs, quæ quia vera, etiam in reo creduntur, ipſe etiam Iudex, ut aduertat ſuam famam, & honorem, & vitam in diſcrimine. Coram Iudice omnem miſericordiam adverſus reum oſtende, ſolum de malis pu-

publicis moveri ſuam ſortem accuſare, quod iure aliàs amici caſum debeas incuſare.

ACCVSATVM ESSE.

TEgendum ſi ab aliquo te accuſatum advertas, nec ſubitò, in quovis eſſes delatus, te corrige, ne ſe delator prætexiſſe advertat, & ſuam delationem ab eo, cui detulit, gratè habitam; imò dic eum, data opportunitate, & hoſtem, & delatorem, & ſi eos optat, vt ſolent Proditores optari, numquam tamen amari, &c. Et huic ſolere argumentari, ſi coram me alios depingit ita, imò minus ijs prudentię, concordię ineſſe aliorum non ſocios, ſed carptores judicare, & ſi ut utiles ſibi admittat, laturum tamen ſuo tempore animi erga tales effectum. In lucto ſumpto negocia pro ſolatijs ſerijs ut diſtraharis: Qui te detulit, odi, conſule quid ſit in hac delatione agendum, & veluti ab intimo amico pete. Qui coram altero de

te,

te, volendo te ab illo advertere, peſſima locutus coram hoc eodem, optima de tertio cum quo committeris loquere, initio litis eum ipſum accuſatorem oſtende complicem, vel judicium coram agi, maximè in ijs, quæ grata ſunt, ut accuſatorem olim anno militiæ judicibus deponendæ; ſi de pluribus arguaris, ne omnia negando fidem perdas, aliqua, et ſi falſa, agnoſce, ut deſit omnino te flexilem, & errori non vtique affici. Sæpè iuvabit, & ſi ſciveris te ad Dominum delatum, ſi ille non exigat, te non purges; magis commovebis, & te intricabis, ſed initium illud ſume vitando, aut contrarivm agendo.

PROVINCIAS ADIRE.

PRimò nullæ habeantur memoriæ, ſed quidquid notatu dignum, ſivè ex bono, ſive probro, nota lingua non communi, ne ſi indigena advertat, offendatur.

Secundò viam in locis publicis, quam privatis, tam ſacris, quàm

pro-

pro ſanis luſtra omnia ſacra, ut ſunt Templa intus, Epitaphia, Anathemata, ſepultura virorum illuſtrium, Symbola mortuoria, Organa, Columnas, Cathedras, &c. Arces, Montes, Silvas, Valles, flumina, & eorum naturam, effuſiones, Ortus, nominum originem.

Tertiò aeris conſtitutionem, ut Romanus, aduenis non laudetur, melior Bononienſis, & Patavinus, noctium, & dierum.

Quartò ſitum Vrbium, quæ pars cum mundi Plaga obverſa, fodinas metallorum ſingulorum, Thermas, Naves, Ceremonias, Campanas, Horologia, &c. Hæ cautè inſpiciendæ. Turres uti in Germania tres cæteris nobiliſſimæ Viennæ, Argentorati, Landburgæ. Stemmata Vrbium, & origines, aquæductus, miracula, oppugnationes.

Quintò Academiæ ritus in gradibus conferendis.

Sextò Artificia, & Artifices, Armamentaria, & in hijs machinæ, marmora, palatia, modi convivandi, quorum ſeminum capax terra.

Septimò ſtatus Reipublicæ, Epiſco-

ſcopi poteſtas, quis modus in nuptijs, bacchanalib⁹, mercatura, pietas, diuitiæ, ſtudia, ſingula expertis eorum exquirenda; Ea maximè notanda, quæ tibi utilia, quibus illa Natio maximè oblectetur, qua parte poſſit vinci. Quomodo in omni loco nomine, & figura notetur modus loquendi, fructus ſervandi, & hortos, ſpecus, fodinas.

Locos ſubterraneos erroribus obnoxios luſtrandos ſine ignitabulo benè inſtructo non ingrediaris, & aliquas candelas varijs in locis pone, & ſi ſolus intras, Ariadnes conſilio vtere, funiculum accipe longiſſimum, ut per illum dirigendum exire poſſis; Quia ſæpe nocivus aer in his antris, habe odores, & unguenta, & ante ingreſſum te benè præmuni.

Eam Gentem, apud quam degis, lauda, quam inſectatur reprehende.

LIBROS SPECVLATIVOS LEGERE.

QVæ ſit aſſertio, quid doceat, quot puncta ſingulæ voces poſitæ, & quidem hoc ordine, quid inde inferri poſſit, quomodo aſſertum probetur, quibus argumentis formam Dialecticam reducendo, & reſponsũ præcogitandũ, ſatisne firma major, quomodo minor confirmari, & quæ inſtãt iæ efferri poſſint, cũ qua Theſi conſonet, aut pugnare videatur. Quid contra obijci, quomodo textus artis, & §.§. & ſcripturæ explicari. Quid adverſa ſententia afferat, in quot punctis contrarietur, quomodo ſingula probet, ex quo principio, obiectionem, formam, reſponſum ſingulis membris applica, & judicia ubi quid deſit, & quid Adverſarij negare, & quid contra retorquere poſſint; Ipſæ objectiones, quas legit, quomodo aliter ſolvi poſſint, & promovere, quomodo aliqua difficultas clarius, & quibus verbis ponenda, &

in

in quo conſiſtat, concluſionem non ſtatim ad particulam applica, ut conſtitutiones phyſicas, de cauſis ad ignem, arborem, Angelum. Theologi v. g. de Sacramentis in communi ad cætera Sacramenta. Non eſto contentus ſemel perlegiſſe, ſed diverſis vicibus idem ſæpe non ſpontè occurret, idem intellectui, quod multo labore ante habere non potuit, & ſi quis tibi explicat, prius ipſe relegas, ut copiam argumentandi acquiras per ſingulos locos, ut vocant Dialectici ductus aſſertionem, & contra illam aſſertionem, aut pro illa; quære ultimò quali diſcurſu in colloquio, Medicorum, aut Doctorum uſu ſervire poſſit ea ſpeculatio.

AXIOMATA.

1. Cum quocumq; amico ita agas, ac ſi futurus eſſet inimicus.
2. Periculoſum in communitate eſt, ſi unus ſit nimium potens.
3. Cum aliquid curas, nemo te curare advertat, priuſquam fue-

fueris in poſſeſſione.

4. Multa mala ſcire, quæ prohibere poſſis.

5. Quę poſsũt cõponi pace, aut quiete, bello, aut liti nõ cõmittenda.

6. Melius eſt parvum damnum accipere, quam ſpe magni lucri cauſam alterius adducere.

7. Acrem eſſe nimis in agendo, lubricum eſt.

8. Melius mediũ, quam præcipitia.

9. Omnia ſcias, nil prodas, cũ omnibus ſuaviter, cum nemine ferè effusè, ſeu nimis candidè agas.

10. Inter factiones medium eſſe beatum eſt.

11. Omnes aliquantulum ſuſpectos habe, & non ſis perſuaſus te melius habendum, quàm alios.

12. In qua parte pleres ſunt, eam ſi non ſequaris, non vitupera.

13. Quo te affectus abripit, id ſuſpectum habe.

14. Ad donandum, & convivandum, tanquam hoſtile conſilium incute.

15. Secretum difficiliùs, quam hoſtem captivum tuo jugulo inſidiaturum admitte.

OPE-

OPERIS COMPENDIVM.

Hæc quinque præ oculis habe, nempe.

1. SIMVLA.
2. DISSIMVLA.
3. NVLLI CREDE.
4. OMNIA LAVDA.
5. VIDE QVID AGAS.

SIMVLA DISSIMVLA. Omnium te oſtende amicum, cum illis converſare, à quibus abhorres, ut ſic cautelam quoque diſcas. Iram omni poſſibili modo preme. Plus una illa te diffamabit, quam multæ virtutes te cõmendabunt. Semper faciliora eligere coneris, ut facilius obedire maiorique, quia plura ſecum trahit incommoda, & cum difficilis actio occurrit de duobus elige faciliorem. Semper hoc cura, ut nullus ſciat quid de hac re judices, quid ſcias, quid velis, quid cures, quid fugias; Virtutes non expedit nimis abſcondere, nec ſacra longiora incuſare, ne videaris in-

de-

deuotus. Etiamſi aliquid duriori modo poſſis obtinere, eum non adhibe.

NVLLI CREDE. Dum te laudat, perſuade, quod illudat, non concrede ullum ſecretum, quia ſæpe es deſpectus, non lauda te, nec vitupera, inſidiantur tibi alij, ut te carpant, non oſtende libertatem in moribus, unde judicaberis, ſi quis vituperet, & uexet, puta quod tuam virtutem probet, ſimulant, & amicos non ſunt.

OMNIA LAVDA. De omnibus benè, aut non malè loqueris, ne ſciat tertius, & cum auctuario ad ipſum deferet. De ſuperioribus ſemper benè loquere, quia paci ſervit, eos quorum gratia eges, lauda, item victum, & amictum, quem ab alio habes.

VIDE QVID AGAS. Quid loqueris. Poteſt ne hoc in meliorem partem trahi, ſi poteſt certò trahetur, fortè aſpicit quiſpiam, aut audit, quem tu non vides.

FINIS.

(:o:)

INDEX

Omnium Titulorum.

Actiones humanæ Civiles.	pag. 13
Accuſare.	100
Accuſatum eſſe.	102
Æſtimationem, & famam ſibi facere.	21
Affectus ſimulare.	98
Affectus quoſvis aſſumere.	70
Agere novum quid.	73
Amicitiam ſolvere.	77
Animare ad aliquid faciendum.	51
Arguere, Emendare.	97
Axiomata.	107
Cautè agere.	56
Compendium iſtius libelli.	119
Converſari cum alÿs.	60
Convivari.	71
Damna vitare.	73
Dexteritatem in agendo acquirere.	91
Donare, Munerari.	30
Errorem tegere.	75
Fugere.	83
Gratiam ſibi comparare.	14
Gravitatem acquirere.	26
Honorem obtinere.	66
Hoſpitem ingratum expedire.	59
Inſidias eludere.	64
Invidiam vitare.	39
Iram tenere.	80
Iocari.	63

Lau-

Laudare alios. 79
Laudes proprias dicere, & audire. 88
Legere, ſcribere. 28
Libros ſpeculativos legere. 106
Malos ſubvertere, deponere. 92
Monere. 35
Mutuum dare. 99
Ne ſe alter ab officio excuſet. 80
Non falli. 36
Noſce qui ſit amicus alicuius. 20
Noſce intentionem dictionis alienæ. 46
Noſce teipſum. 2
Noſce alios. 4
Oblocutiones contemnere. 90
Odium malis conflare. 76
Offenſam vitare. 47
Pacem internam habere. 89
Pecuniam conquirere, retinere. 65
Petitioni reſpondere. 68
Petere. 33
Prudentiam acquirere. 52
Peregrinari. 95
Provincias adire. 103
Punire, Corrigere. 95
Reſcire ſecreta. 46
Sanitatem conſervare. 38
Seditionem componere. 87
Stipulationem non perdere. 74
Suſpicionem avertere. 92
Tempus ad negotia augere. 25
Vana non appetere. 96
Veritatem aſſequi. 99

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-(B. Piave)
1971

Digitized by Google